



B e ~~406~~

407

A) Index, Matth.

2) - b)

(4)(5) = MF



Matthaus Index

DE TYPO

GRAPHIAE INVEN-
TIONE, ET DE PRÆLO-
RVM LEGITIMA INSPECTIO-
NE, LIBELLVS BREVIS
ET VTILIS.

PER
MATTHÆVM IVDICEM.

COPPENHAGII,
Excudebat Iohannes Zimmerman;

ANNO 1566.



NOBILIT ET CLA³
RISSIMIS VIRIS DOMINO E-
BERHARDO A THANNA, ET DO-
ctori Petro Prem, & doctori Simoni Schar-
dio, & Domino doctori Lamperto
Fredelando, Dominis, & Pa-
tronis suis obseruan-
dis.

Fortè non pauci mirabuntur, me in isto meo exilio
de Typographia, & de prælorum illiberali, & in-
sidiosa oppressione, & de inspectionis abusu, tam an-
gusto, & conciso sermonis genere scribere, cum ea res
non imbecillum & exulem, sed uel magnum aliquem Or-
ratorem, qui grandi sermonis genere, & ui uerborum sa-
xæa illa malorum corda absterret ab eo incepto, aut po-
tius singulare, & potens, & miraculosum Dei auxilium,
qui propemodum claua sua, aut fulmine repressis illis ho-
stibus præla in pristinam uindicaret libertatem, desidera-
re uideatur.

Breuitè ergo mei facti rationes exponam, quas qui ex-
pendcrit, haud facillè temeritatis me accusauerit.

Dona Dei agnoscere, & celebrare pios decet, quia De-
us id postulat à nobis, ac in eum finem suis beneficij genus
humanum cumulat, ut ijs fruente autorem cognoscamus,
& celebremus. Ac adeo detestatur ingratitude & cæ-
citatem, qua munera sua negliguntur aut contemnuntur,
ut sæpe ijs sublatis substituat mala, quæ de bonis amissis,

eorumq; autore, & largitore nos magna cum molestia, & dolore commonesciant. Inter alia autem dona & ornamenta, quæ Deus generi humano dedit, haud infimum locum tenent artificium scribendi, quod sanè antiquum est, & primis patribus tribuitur, & artificium typographicum, quod ultra quinquies mille quadringentos, & duodecim annos ignoratum, seculo superiori ab homine germano non sine Dei consilio, & munere est inuentum.

Iure igitur à me, & quidem ab omnibus bonis donum illud Dei agnoscitur & celebratur, idq; eò magis quod infinita commoda secum affert, quemadmodum solent munera diuinitus concessa πολυκαρπια, & fructuosa esse.

Nam ut de alijs commodis, quibus res literaria per typographiam aucta est, & adhuc indies cumulatur, tot uoluminibus autorum uetustissimorum in lucem editis in omni genere disciplinarum & facultatum, nihil dicam, illud certè diuinum & immortale est, quòd ea plurimum promouit instaurationem puritatis doctrine, & reuelationem Antichristi, & regni eius destructionem. Nam unum in eo genere libellum ceu telum, aut globum quendam ad feriendum Antichristum per Angelum & uirum Dei Doctorem Martinum Lutherum, & alios eius σύνεργους directum, & uix in uno aliquo loco eius socios icturum, typographia ceu amplissima quædam machina tormentaria excepit, & breui tempore multiplicauit, et quasi densissimam grandinem ei aculata est, & plurimis in locis zizania papistica contriuit, & errores & corruptelas, & ἰδολοθησκίας, & idolomanias Antichristi

de

destruxit & aboleuit, & ueram doctrinam propagauit, & ubiq; serè locorum membra Ecclesiae effecit eos, qui ante in tenebris, & umbra mortis sedebant. Nec potuit Antichristus ulla astutia, aut industria, aut etiam ui suum regnum tutum ab illis telis efficere, neq; doctrinam Euangelij tanta librorum copia exundantem in orbem terrarum, reprimere.

Esti autem donum linguarum, quo spiritus Dei Apostolos eorumque discipulos ad propagationem Euangelij per omnes nationes, & linguas hominum ornauit, quidam praestantius uidetur, tamen non ineptè quod ad celebritatem attinet, typographia cum eo confertur. Sicut enim eo instructi Apostoli quouis terrarum excurrerunt, nisi sigillatim à spiritu Dei in aliquo loco iussi essent tacere, ceperunt doctrinam Euangelij promulgare, & Ecclesias colligere, ac breui temporis spacio multos auditores ad agnitionem ueritatis adduxerunt, qui suis popularibus eadem lingua praeditis amplius magnalia Dei annunciare, & propagare non cessarunt, donec paulatim integrae gentes, et nationes Christianismo sunt imbutae, uanis idolorum cultibus, & gentili superstitione abiecta, & radicitus euulsa. Ita etiam per Typographiam pura doctrina libro inscripta, & breui temporis spacio magno numero per exemplaria diuulgata, & hinc inde dispersa plures sortiuntur lectores, quos Deus accendit ueritatis agnitione, qui postea eandem doctrinam in suam linguam transferentes, iterum typographiae beneficio, per multa exemplaria diffundunt, ut innotescat plurimis, & tandem inte-

PRÆFATIO.

gra regna, principatus & ducatus uera religione occupantur, abiectis erroribus, & idolatricis cultibus. Et non est dubium, quin Deus propter repurgationem Ecclesiæ his postremis temporibus faciendam, quæ à Christo fulguri, seu coruscationi confertur propter celeritatem, Mat: 25. multa passim præla, & officinas typographicas curauit institui, ut doctrina sincera reuelata diuinitus, longè lateq; per omnes orbis terrarum partes, leui opera, & breui tempore diffunderetur, in præiudicium omnibus nationibus: Hec beneficia memoria, & gratiarum actione digna sunt, quam Deo meo pro mea uirili hac qua licunq; commentatione uolui præstare.

Accedit & illud, quòd uidi præclarum illud Dei opus & donum, ut alijs plerisq; solet accidere, multiplici abusu contaminari, & insidiosa occupatione à Diabolo, & impijs diuexari cum magno detrimento Ecclesiæ, ueritatis & posteritatis, quæ ut nemo bonus probare potest, & rectè à pijs omnibus redarguuntur, ita spero nec mihi nitio uersum iri, si quæ non rectè fiant in hoc genere obiter indicem, & quasi digitis Dialectica ratione, absq; uerborum ornatu nudè & breuiter demonstrarem, idq; publicè boni gratia, quod quisq; etià priuatus tenetur promouere.

Quia uerò non sum eius autoritatis et roboris, ut possum præla à sæda illa seruitute, & oppressione plurimorū magnatum neopapalè sedem iuxta Lutheri uaticinia confusa Ecclesiastica, & politica potestate machinantiū, liberare, excitandi mihi fuerunt homines literati, & eruditi, ut tanquam Duces, & ueterani milites, acie benè instru-

Et in

Et, in prælium Domini ueniant, & segnitia ac socordia penè amissam prælorum libertatem, diuinum implorantes auxilium ore, stylo, & iusto labore, ac certamine arduo recuperent, & in integrum restituant.

Ac per Deum omnes pios & literatos homines, maxime uerò Theologos, qui sunt ministri Dei, & custodes non modò doctrinæ ueræ, sed etiam libertatis Ecclesiasticæ, quam Christus suo sanguine comparauit, oro & obtestor, ut in timore Domini oculos aperiant, & uideant quomodo non modo Papiæ, sed etiã aulæ, seu ut uocant Cancellariæ, curiæ, & improba cõuedgiæ, seu Consistoria, quæ in Lutheranorum Ecclesia, ut uulgò appellatur, institutum sub prætextu inspectionis librorum edendorum Ecclesiam suo iure et libertate, & potestate iudicij defraudent, sibiq; solis arrogant, & decretis suis inauditam & immanem ulm prælis inserant, eaq; necessarijs & utilibus scriptis ad ueritatis assertionem, & errorum refutationem, & peccatorum redargutionem occludant, & erroneis, & blasphemis, & Ecclesiæ Dei, ac ueritati nocentibus scriptis patefaciant, adeo etiam ut synceros Dei ministros eam solam ob causam in exilium eijciant, si nolint consentire in legitima & insidiosa mandata.

Cogitent singuli, qui pietatem & ueræ religionis propagationem, & conseruationem amant, quem tandem exitum sortitura sit res ista, nimirum quod sicut officinæ typographica prius, cum inspectio non tantum penes politicas, sed penes Ecclesiam, eiusq; doctores, quibus iudicium de doctrina est cõmissum, esset, seruiuerunt Christo,

eiusc; ueritati propaganda, ita nunc, cum soli aulici libro-
rum Theologicorum inspectores, & censores erunt, serui-
tura sint Antichristo, & mendacijs, dum necessarijs, & u-
tilibus ueritatis defensionibus, & errorum & corruptela-
rum refutationibus, & serijs pœnitentiæ concionibus ex-
clusis & relegatis, operam suam nauabunt erroribus pro-
pagandis & defendendis, & nouis decretis contra ueram
religionem promulgandis, & conuicijs & calumnijs in
bonos & innocentes effundendis.

Hec uerò qua conscientia ueri Doctores & fideles mi-
nistri Ecclesiæ possint silentio aut dissimulando præteri-
re, aut non admodum reclamando comprobare, aut etiam
adulando adiuuare, quisq; pro sua conscientia uiderit. E-
quidem non ignarus sum quosdam mutos canes, & uigiles
dormientes parum moueri, si uideant prælorum oppres-
sionem & abusum, & existimare, parum id ad se pertine-
re, siue reprehendant, siue probent talia facientes, eo se-
se consolantes, quod ipsi nihil in animo habeant edere ty-
pis. Verum si isti non cæci essent, doceri possent, ad ipso-
rum officium pertinere uigilare pro libertate Ecclesiasti-
ca conseruanda, & abusus donorum Dei taxare, & scan-
dala & damna Ecclesiæ præcauere, & que mala sunt
damnare.

Nullus certè est præfectus aut pedaneus, qui non ter-
minos domini, & iurisdictionis sui Domini gnauiter cu-
stodiat & defendat, & si uicinus eos transeat, si non po-
test prohibere, certe protestationem opponat de saluo iu-
re sui domini. Pudeat ergo Theologos, & Ecclesiæ Mini-
stros

suos metas iuris, & libertatis Ecclesie non summa dili-
 gentia obseruare, & uigilanter custodire, & eas inuaden-
 tes, & sibi arripientes non arguere, & de penitentia mo-
 nere. Aulici & politici uigilantiores sunt intuentia sua po-
 testate politica, neq; immerito: Si enim quis ex Theolo-
 gis & ministris Ecclesie id affectat, quod ad politicam
 potestatem pertinet, grauius repellitur, ac pedem in sug-
 gestum referre iubetur, nisi malit ferre infortunium. At
 multi ex nostris, licet sentiant Aulicos sese extra metas
 sue uocationis efferre, ac sese dominos super uerbum Dei,
 & Ecclesiam, & ministerium constituere, ac sibi solis cen-
 suram sumere de libris edendis, eamq; ita exercere, ut ue-
 ros, necessarios & salutare libros impediunt, & oppri-
 mant propemodum exemplum Ioachim imitantes, qui li-
 brum Ieremie à Baruch exceptum comburebat, cum ap-
 plausu & consilio aulicorum suorum, Ierem: 36. tamen
 quasi canes muti, ne mutire quidem audent contra uiola-
 tores, & raptores iuris Ecclesie, & contra tam tetra &
 nocentia peccata & scandala.

Sed reddent illi aliquando rationem sue uillicationis
 & dispensationis illi Domino, qui Ecclesiam eiusq; iura,
 sanguine suo redemit, ac illos uigiles & custodes eorum
 constituit. Mibi satis est pro meo talento hæc monuisse,
 & occasionem cogitandi aliis piis præbuisse.

Deinde & hæc non postrema est causa, ob quam hanc
 de typographia, & de inspectione methodum dialecticè
 propono, ut nimirum cum in Ecclesia Dei, cuius indignus
 sum minister innotuerit, me propterea, quod libellum de

mandato Dei exite, Aposol. 18. ediderim sine aule iussu, quæ integrum annum eius libelli exemplar detinebat sine responso, & adhuc quidem habet, in exilium pulsus sum, omnes pij uideant, quibus de causis neq; ego, neq; alij mei Collegæ consentire potuerimus, in illud edictum, quod nobis primum, postquam meus libellus impressus erat, contra piorem conuentionem, & uocationis conditiones, latum est, ne quid externis prælis ederemus non prius ab aulicis iuxta sententiam huius mundi approbatum, & concessum. Legitimam inspectionem eorum, apud quos nostra imprimenda fuerunt, nunquam detrectauimus, Sed in talia decreta, quæ hanc ueritati, ad quam dicendam à Deo uocati sumus, injiciunt, & nouam seruitutem de externis prælis, qualis non est audita & usurpata, dum mundus stetit, aut litera uel syllaba scribi capit, rei literariæ imponunt, & Ecclesiam suo iure priuant, & iudicia de doctrina ad aulæ placita, et non ad normam uerbi diuini, & ad homines dono discernendi spiritus carentes, alligant, consentire non sine scelere & impietate potuissimus. Neq; ea in re præfractè quicquam egimus, Sed nostris rationibus propositis petiuimus conscientias nostras liberari, & ex uerbo Dei probari talia decreta pia esse, & à nobis bona conscientia approbari posse. Verum qui nos meliora uoluisset docere ex uerbo Dei, nemo fuit, Sed illa uoce, Nolumus uobiscum disputare, Item, Sic uolo, & non aliter repulsi sumus. Quare nunc ad Ecclesiam Dei appellandum censui, cuius iudicio hunc totum meum libellum de typographia lubens subiicio, Meliora ex uerbo

P R Æ F A T I O .

ii

ho Dei edoctus ueritati, Deo me gubernante cedam, gratias acturus eam monstranti.

Vobis autem uiri nobiles & clarissimi, hanc methodum inscribere & dedicare uolui, quia scio uos non tantum prudentia iuris claros, sed etiam uera pietati deditos, ac spero uos Dei gratia rectè existimare præla dona Dei esse, ac inspectionem & iudicium librorum Theologicorum non solis aulicis, qui alioquin satis habent, quod agant, sed Ecclesie, eiusq; sinceris, & dono discernendi spiritus præditis Ministris competere, nec probare decreta, & constitutiones contrarias, & multiplices abusos, multò minus ut eam ob causam ministri Dei, quorum nequè doctrina, neq; uita culpabilis est, affligantur.

Deus pater Domini nostri Iesu Christi, regat uos suo spiritu sancto, ut in eorum numero sitis, qui dolent super contritione Ioseph, & abhorrent ab omnibus, quæ uerbo Dei, & gloriæ ac regno Domini nostri Iesu Christi, & saluti Ecclesie aduersantur, & magis Deum quàm homines timeatis. Valete. Vuismaria in exilio die Paschalis, Anno Domini 1564.

Matthæus Iudex

V.

Observantissimus.

DB

DE TYPOGRAPHIA.
 DE TYPOGRAPHIA,
 PARS PRIOR, CONTI-
 NENS SIMPLICEM ME-
 THODVM.

APPELLATIONES.

CAPVT I.

*Nomina sunt typographia, calcographia, ars impres-
 foria, seu excusoria, & per Synecdochēn prela.*

AN SIT.

CAPVT II.

*Quòd sit quoddam artificium typographicum, proba-
 tione non indiget hac nostra etate. Res enim ipsa in om-
 nium oculis uersatur, & longè lateq; per orbem terra-
 rum, ante annos non ita multos diuulgata est, ac in fre-
 quenti usu habetur.*

QVID SIT.

CAPVT III.

*Typographia est artificium ab industrijs hominibus in
 Germania singulari Dei beneficio inuentum, mirabili qua-
 dam ratione literarum typos connectendi, referentes &
 exprimentes integras uoces & sententias, & uno siste-
 mate facto, multa millia exemplarium, leui opera, me-
 diocribus impensis excudendi, à Deo postremis tempori-
 bus, ad ueritatis Euangelicæ propagationem, & multi-
 plicium*

placitum errorum refutationem, & Ecclesie ædificationem concessum.

QVAE SPECIES.

CAPVT IIII.

Species ratione subiecti plures sunt, Alia est, qua litera siue latina, siue Græca, siue Ebraica, siue Arabica, siue aliarum gentium, quæ suis quibusdam utuntur characteribus in scriptione. Alia qua pictura seu imagines uariarum rerum. Alia qua nota Musica, uel numeri exprimuntur.

Item alia uetus, alia recentior ratio impressionis est. Nam illa quidem rudior, & simplicior fuit, Hæc uerò ex cultior & ornatio est.

QVAE CAUSAE.

CAPVT V.

Efficiens remota Deus est. Nam tot seculis ab initio mundi ignorata est typographia, & hodie etiam occulta nobis esset, nisi Deus singulari beneficio eam generi humano ostendisset, ac largitus esset. Pleriq; autores artem ipsam literariam & scriptoriam, qua sensus animorum quibusdam characteribus, mirabiliter sanè exprimuntur, referunt Deo acceptam etiam inter gentes. Cum autem hæc typographica longè expeditior sit, quis dubitat Deum autorem sateri, præsertim cum scriptura testetur, omnia bona, & utilia dona esse à patre luminum.

EFFICIENS.

PRO=

DE TYPOGRAPHIA
PROPINQVA.

Sunt eius artificij primi inuectores, Iohannes Faustus, cuius Moguntinus, & socij eius Petrus Schafferdes Garenscheimensis, & Iohannes Guttembergicus.

Pro occasione autem eius inuentionis quidam asserunt, Faustum aurifabrum sculpsisse alphabetum in metallo, & obducto atramento impressisse in chartam. Cum autem uideret exprimi litteras, animum intendit homo solers, & indagauit, an non coniunctis literis integræ sententiæ possint excudi, quod cum effici posse deprehenderet, longius progressus per industriam, & diligentiam, & assiduitatem id artificium excoluit circiter annum Domini 1440. sub Friderico tertio, ut Nauclerus annotat, uolumine secundo. Auentinus uerò asserit anno 1450. inuentam esse eam artem, & primum clam habitam socijs ad silentij fidem iurisiurandi religione obligatis. Verum decennio post Iohannem Guttembergicum Argentoratensem Fausti Ministrum in Germania euulgasse.

INSTRUMENTALIS.

Instrumenta sunt charta, typi literarum, siue ex argento, ut Aldini, siue ex stanno, siue ex plumbo, chalybe indurato, siue ex orichalco, siue alio idoneo metallo fusi, atramentum, prælum, & similia, quæ in officinis ceruere licet, item ministri, locatores, impressores, correctores, & alij.

QVAE CAUSA FORMALIS?

Ad

Ad formalem causam totum artificium pertinet, ni-
mirum literarum collectio, & collocatio in iustum or-
dine, applicatio ad prælum, typorum per atramentum tin-
ctio, chartæ impositio, & præli compressio.

QVÆ FINALIS.

Hos ob fines reus generi humano uidetur id munus
concessisse, ut res literaria iuuaretur, & expeditius libri
& autores imprimerentur.

Vt uiliori precio uendi, & emi possent monumenta ue-
terum, & recentium autorum.

Vt artium, iurisprudentiæ, & medicinae studia, quæ
seculis prioribus satis erant obscura, excolerentur.

In primis uerò ut puritas doctrinæ Euangelij, quæ
erat his postremis seculis reuelanda contra Antichristi
corruptelas, citius, facilius, longius & latius per orbem
terrarum propagari posset.

Vt corruptelæ & errores, quos Sathan per sua orga-
na ad nouam Euangelij lucem obscurandam inueniret ad
deciendum etiam electos, à pijs Doctoribus refutati,
maturius innotescerent passim.

Vt etiam aliæ gentes superstitionibus deditæ, aut Ma-
gometismo captæ facilius possent ad agnitionem Christia-
næ religionis adduci.

Ne monumenta illustrium uirorum, quos Deus hac
postrema ætate excitauit, ita subito, ut quibusdam ex ue-
stris accidit, interirent.

Vt uerbum Dei abundanter inter homines habitaret,
Ne Epicureismus proprius nouissimi seculi morbus, seu po-
tius ueternus, nimis multos corriperet, propter librorum
inopiam & caritatem, Ideo Deus uoluit uilissimo precio
libros extare, & quasi omnia replere, ne quis suae insci-
tie, aut ignauiae iustam causam prætexere posset.

Vt Deus etiam pro hoc mirabili artificio celebraretur.

QVI EFFECTVS.

CAPVT VI.

Effectus serè cum causa finali coincidunt, de qua in præ-
cedentibus dictum est. Deinde etiam uerus Typographiæ
usus, & commoda huc pertinent. Usus autem sunt uarij,
& quidem ordinati.

Primus autem & præcipuus est imprimere, & edere
illa, quæ pertinent ad propagationem, illustrationem &
conseruationem ueræ doctrinæ, ut sunt sacra Biblia in
quolibet genere sermonis, Ebraico, Græco, Latino, Ger-
manico, Gallico, Slauonico, ut nunc sit Labaci & simili:
Et scripta Doctorum Ecclesiæ, & Historicorum, & Chro-
nicorum, præsertim eorum, qui statum Ecclesiæ descri-
pserunt, monumenta & scripta *ωολεµίνεα*, quibus hæ-
reticorum errores, & corruptela, & zizania resutentur,
& ueritas & puritas doctrinæ propugnatur. Nam illa
omnia pertinent ad primam Decalogi tabulam.

Secundus est imprimere, & edere illa scripta, quæ per-
tinent ad facultatem iuridicam, cui post Theologiam se-
cundas

cundas ignobile uulgus propter Magistratum attribuit partes.

Tertius est imprimere, & edere monumenta, in quibus uerè traduntur ea, quæ ad artem medicam faciunt.

Quartus est imprimere, & edere tum ueterum, tum recentium autorum scripta, in quibus artes liberales traduntur, illustrantur & excoluntur.

Quintus imprimere, & edere eos libros, in quibus uerè hystoriæ tum ueteres, tum recentes exponuntur.

Sextus & ultimus sanè tribuatur scriptis iocosis, & tamen sale conspersis, uerum nec superstitiosis, nec spurcilloquis, ut sunt Aesopus, fabulæ quædam Poeticæ, Comediæ, & Tragediæ, Vlenßpiegel, Schimpff vnd Ernst, Dieterich von Bern, Fortunatus, Freydanck & similia.

QVAE COGNATA?

CAPVT VII.

Ars impressoria cognationem habet cum scriptione manuali, & cum pictoria & sculptoria arte. Nam ista sibi inuicem seruiunt, quæ enim scribi, & pingi, & sculpi possunt, illa etiam in plano impressionem admittunt.

Impressoriæ etiam famulantur uicina artificia, ut sunt ars conficiendi papyrum, fundendi matriculas, & typos, conficiendi atramentum, planandi, & ligandi libros, & similia.

QVAE PUGNANTIA.

CAPVT VIII.

B

Pugnantia

Pugnancia sunt uaria, quorum species quasdam subiiciamus.

1. Vicia, quae committuntur uarijs modis, uel literaturae, cum minus affabrè typi facti sunt, ut in quibusdam uetustis codicibus initio, cum adhuc rudia, & simplicia essent omnia, conspicitur.

Vel praepostera collocatione literarum, cum non qualibet suo ordine posita sunt, sed disturbata uel mutata, uoces, & sententias, quas debebant, non expriment.

Vel punctuatione, quando comata, cola, periodi, paragraphi, tituli, capita, & similes distinctiones non rectè obseruantur.

Vel negligentia, cum quaedam uoces, & sententiae omittuntur, aut confunduntur, aut bis ponuntur, aut saepius repetuntur, aut series, & ordo paginarum confunduntur, aut orthographia in linguarum idiomatis non obseruatur, aut cum numeri paginarum, necessarij indices, & similia negliguntur, quae discentium studia remorantur, et scrupulos imperitis iniiciunt, ac doctis interdum etiam negotium facefcunt, & errorum semina praebent.

2. Vicia propriè pertinentia ad personas Typographorum, qualia sunt. 1. Impietas, cum ea quae pugnant cum uera religione, pietate, honestate & communi utilitate excudunt, ut sunt libri hereticorum, errorum, & corruptelarum defensiones, famosi libelli, pasquilli, inuectiuae contra innocentes, scripta uetita, ut de nigromantia, & de rebus impudicis, & similia.

2. Adiaphorismus, cum utrique parti equiseruiunt, et sine

Et sine conscientia scripta pro et contra ueritatem, et honestatem imprimunt. Qua in re similes ueribus sunt, quæ affixas carnes cuiuscunque generis siue mundi siue immundi animantis sint, circumagunt.

4. Auaricia, cum tantum ad sua commoda attenti illa, quæ questuosa sunt, et uendibilia, et scholastica, philo-
sophica, et gentilia imprimunt, alijs quæ ad ueritatis pro-
pagationem faciunt, et ad gloriam Dei abiectis, et ex-
plosis.

5. Tyrannis quæ duplex est, aut ecclesiasticorum, aut politicorum.

Ecclesiasticorum Tyrannis est, cum præla ab ecclesia-
sticis non recte de religione sentientibus occupantur, et
occluduntur libris siue antiquis, siue recentioribus, quibus
puras doctrinæ cælestis contra errores, hæreses, et cor-
ruptelas aseritur, et propugnatur. Sic Antichristus Ro-
manus in locis sibi subiectis pœna capitali officinas Typo-
graphicas astringit, ne quid contra suos errores excu-
dant, et è diuerso eas cogit ueterum monumenta corru-
pta, et à se, et suis falsata, aut contaminata imprimere, et
suis erroribus propugnandis inseruire. Imo his non con-
tentus etiam maiora molitur. Nam in Typographos eti-
am in alijs locis, et libros eorumque autores, in quibus su-
os errores, et scelera intelligit oppugnari, quotannis ex-
communicationis fulmen stringit. Suos etiam passim ha-
bet proditores, ceu magnos heroes, in locis ubi celebres
sunt officinæ, per quos diligenter expiscatur, et cauet, ne
quid contra se apertius, et firmitus edatur. Adeo sibi Ty-
rannis metuit.

idem propemodum imitantur aij spirituales sectarii, siue pauci, siue plures, coniuncti in nonnullis synedriis, seu ut hodie uocant Consistoriis, qui citra Ecclesia assensum, sibi uendicant dominium potius in praela, quam iudicium iuxta ueritatem, nihilq; nisi a se approbatum edi uolunt, cum tamen ad iudicandum pleriq; sint tam idonei, ut asinus ad lyram, & cum inspectionis labore pertæsi, bonos & necessarios libros abiiciant, aut erroribus & corruptelis patrocimantes, ueritati ocludant, mendaciis uerò & calumniis omnia pandant.

Tyrannis politicorum est, cum politici Magistratus omne ius praelorum, tam suorum quam alienorum sibi tantum cum suis aulicis rapiunt, & Ecclesia Dei inconsulta, imò cōtradicante publica decreta faciunt, ne quid à Theologis sibi subditis edatur sine suo consensu, & uoluntate siue typis eius regionis, siue externis aliq; Domino subiectis, idq; in eum finem, ut caueant, ne spiritus sanctus & ministri eius debita, & necessaria libertate utantur, ad ueritatis propagationem, & errorum, corruptelarum, & scelerum reprehensionem & refutationem. Sed de hac re infra copiosius & liquidius.

4. Abusus praelorum cum aut blasphema, aut hæretica, aut idolatrica, aut turpia, aut scurrilia, & quacunq; ratione pietati, & bonis moribus aduersa, & nocentia imprimuntur. Aut cum præposterus obseruatur ordo, & potius gentilia, & philosophica & iocosa, sæpe etiam scurrilia scripta, quam ad gloriam Dei & ueritatem pertinentia excuduntur.

PARS

PARS ALTERA,
CONTINENS QUÆ-
STIONES COMPOSITAS.

EX hac simplici methodo plurimi loci compositi, seu propositiones, quæ interdum in quæstionem & con-
trouersiam ueniunt, tractari & iudicari possunt,
quales sunt.

1. An typographia ad artes liberales, an uerò ad ma-
nuaria artificia, seu ad utrumq; pertineat.
2. Quæ inter typographiam, & scriptionem, & picto-
riam, & iconographiam sit differentia?
3. An typographia hominum, uel Dei sit inuentum &
donum?
4. Quando inuenta, & cur tot seculis ignorata sit?
5. Qui fuerint inuectores, & qua occasione inuene-
rim?
6. Catalogus quorundam illustrium Typographorum.
7. Catalogus quorundam illustrium locorum, in quibus
sunt officinæ typographicæ?
8. Catalogus linguarum, quibus hactenus excusi, pro-
mulgati sunt libri.
9. Catalogus operum typis excusorum.
10. De arte, & modo fundendi typos.
11. De collocationis artificio.
12. De multiplici literaturæ differentia.
13. De papyri inuentoribus.
14. De uarijs speciebus, & signis papyri.

15. *Quæ inter scriptoriam, & impressoriam papyrum differentia.*
16. *Methodus de inspectione.*
17. *An literati & præsertim Theologi legitime inspectioni suos libros subijcere debeant.*
18. *An literati, & præsertim Theologi illegitime inspectioni suos libros debeant subijcere.*
19. *An bona conscientia Magistratus possint literatis, & maxime Theologis imperare, ne quid sine sua inspectione, & censura suis prælis excudant.*
20. *An Magistratus rectè faciant, si interdicannt literatis sub sua ditione constitutis, ne quid prælis externis Evulgent, à se non prius visum & approbatum.*
21. *An homines literati bona conscientia in eiusmodi servitutem consentire possint.*
22. *An bona conscientia Typographi quidvis excudere possint.*
23. *An rectè nomen Typographi, & loci occultetur.*
24. *An rectè fiat, si libri fictitijs nominibus edantur.*
25. *An contra mandatum Magistratus rectè imprimere queant, que ad gloriam Dei, & propagationem veritatis & communem utilitatem faciunt.*
26. *De vitijs, & virtutibus Typographorum eorumque Ministrorum.*

De his nos obiter quædam annotabimus, pleniorẽ explanationem in aliud tempus, ubi plus ocij habuerimus recitantes.

AN TYPOGRAPHIA AD ARTES

liberales, an uero ad opificia manuaria,
an ad utrumque pertineat.

CAPVT I.

Suum cuique rei locum, & honorem tribuere necessarium, & utile est, cum propter uaria discrimina, & gradus earum, tum propter animos, & studia hominum, tum propter commoda, quæ ad communem hominum societatem, & salutem pertinent. Sunt autem opera quæ ab hominibus præstatur in hac uita, Alia sacra, qualia sunt docere uerbum Dei siue in Ecclesia, siue in scholis, siue in ædibus priuatis, administrare Sacramenta, orare, benefacere proximo &c. Alia artium liberalium, quæ principaliter ratione, & ingenio perficiuntur, licet adminiculo sensuum, & organorum etiam externorum utantur, uel sunt loqui, docere, orare, numerare, canere, scrutari res naturæ, obseruare modus syderium, Alia opificum, quæ principaliter manuum labore, licet etiam scientia aliqua & ingenij dexteritas accedat, efficiuntur.

Hæc iterum multorum sunt generum, Alia enim opificia liberalia, alia honesta, alia sordida, alia quæstiuosa, alia ludicra habentur. Verum quid attinet de his speciebus multa dicere? Hic de impressoria agitur, cui & suus honos, & locus assignandus uenit. Est autem ea mixtum quiddam seu medium esse uideatur inter liberalium artium opera, & opificum, Tamen sicut scriptio non ad opificum operas, sed ad artium liberalium officinam referri notum est, ita etiam Typographiam, nisi iniquissimi uelimus esse iudices,

et ingratiſſimi cenſores erga eam, à qua plurima accepimus beneficia, ſuo quodam iure ad artificia liberalia referendam pronunciamus, idq; eo magis, quod ſcriptionem tum elegantia, tum celeritate, tum perpetuitate longe antecellat, et doctorum opera in correctionibus præcipue utatur, quo enim typographiam curantes ſunt doctiores, eò melius et emendatius libros in publicum emittunt.

De differentia inter ſcriptoriam artem,
& typographiam, & iconographiam.

CAPVT II.

Eiſi multa communia habent, tamen quedam inſignes differentie notari poſſunt.

Nam primo differunt autoribus, ſeu inuentoribus. Artificium enim ſcribendi literas inde à primis parentibus, qui ante diluuium uixerunt, originem trahit, id quod conſtat ex Iosepho et Beroſo. Græci Hiſtorici inter ſe diſputant de inuentoribus literarum Græcarum, et eam rem alij Cadmo, alij alijs adſcribunt, ſed non eſt dubium, quin ante Cadmum in uſu fuerit, et aliæ gentes à patribus licet mutauerint characteres, exemplum ceperint.

De inuentoribus uerò typographie dictum eſt ſupras.

Deinde in tempore etiam differentia eſt. Nam ſcriptoria et pictoria multis ſeculis in uſu fuit. Typographia uerò ſeculo ſuperiori primò cepit circiter annum, 1450.

Tertiò differentia eſt etiam in materiali cauſa. Nam ſcriptoria calamo et pennis uitur, et ſtylo: Typographia

phia uerò typis ex metallo fufis, & pluribus personis.

Quartò etiam forma differunt. Nam scriptoria literas & sententias successiue exarat. Typographia uerò literis, & sententijs ordine collocatis, simul integram paginam praeli. compressione absoluit.

Quintò differunt effectibus. Nam Typographia uno die plura, & quidem elegantius, quàm scriptoria uix in dimidio anno exaret, maioribus etiam impensis, & minus affabrè. Sicut Auentino referente, Aprutius scripsit, Imprimitt ille die, quantum uix scribitur anno. Tribuuntur Vallæ isti uersus.

Abstulerat Latio multos Germania libros,

Nunc multo plures reddidit ingenio.

Et quod uix toto quisquam perscriberet anno,

Munere Germano conficit una dies.

An Typographia hominum, an uerò Dei,
sit donum, & inuentum.

CAPVT III

Hæc questio nihil difficultatis habet. Quis enim non uidet, cum tot seculis ignorata sit, singulari Dei beneficio, propter repurgationem Ecclesie, & propagationem Euangelij contra Antichristi idolomanijs, & tot sectarum corruptelas generi humano concessam esse typographiam. Omnia bona dona à patre luminum esse, Iacobus dicit. Et Paulus talia dona ad ædificationem Ecclesie necessaria Deo, & Christo sedenti ad dextram, & spiritui sancto ascribit, 1. Corint. 12. Eph. 4. Illis autem quid im-

B 5

pedias

pediat, quo minus Typographiam accenseamus, cum per eam scripta propheta, & Apostolorum, pura doctrina, confessiones ueritatis, & refutationes errorum, in omnibus linguarum generibus longè latèque per orbem terrarum diuulgentur.

Singulare Dei beneficium erat donum linguarum, quod Apostolis, & alijs conferebatur, & proderat ad Euangelium in totum orbem terrarum disseminandum, & ad Ecclesiam colligendam in omnibus nationibus, & partibus mundi. Sed si Typographicum artificium diligentius contempleretur, constabit eo Euangelij cursum hoc nostro seculo non minus esse adiutum. Nam donum linguarum non ad eò longo tempore uiguit, & non omnibus, sed tantum paucis quibusdam contingebat, nec poterant ij omnia tam subito peruolare loca, Sed Typographiæ beneficio, quæ in multis locis exercetur una Concio, aut unus liber ab aliquo pio Doctore scriptus, toties leui opera excusus breui temporis spacio in multa loca spargitur, et simul ac semel à plurimis legitur, quibus ueritatis notitiã communicat. Non potuisset in tot locis tam breui tempore regnum Antichristi destrui, & tã latè uera Doctrina hoc nostro seculo spargi, nisi præ la Deo concessisset instauratoribus religionis. Viclephi & Ioannis Husi, et aliorum conatus in oppugnando, & reuelando Antichristo eò facilius repressi, & oppressi sunt à meretrice babilonica, quod prælorũ beneficio destituti fuerunt, nec potuerunt tã facili ratione suam doctrinam in plurimorũ lectorum animos insinuare et transfundere. Quare sicut Christus dona linguarum exornauit

suos

suos Apostolos, quo possent expeditius per orbem terrarum discurrere, & plantare Ecclesias: Ita cum nostro seculo doctrina Euangelij ab Antichristi tenebris, & erroribus repurganda, eaque tanquam fulgur, quod subito ab oriente emicat usque in occasum, festinanter spargenda per orbem esset, placuit Deo Ecclesiam suam isto artificio, & dono ornare.

Nec obstat, quod supra diximus, Iohannem Faustum cum socijs suis id Artificium primum reperisse. Nam sine Dei beneficio, & concessu id nunquam esset factum. Ethnici etiam dixerunt artes esse donum Deorum, licet à uiris sapientibus eas inuentas, & exultas faterentur.

Quando inuenta, & cur tot seculis ignorata.

CAPVT IIII

Hæc Quæstio supra in loco causarum est exposita. De numero annorum uariant Auctores, Alij annum 1440, alij 1450. assignant, quo ars impressoria sit inuenta.

Quod autem nulli ex tot industrijs, & solertibus ingenijs, in quæ per annos circiter quinque mille extiterunt, mentem uenerit typos literarum incidere metallo, & imprimere chartæ, certum quidem est, sed cur Deus non prius id inueniri artificium uoluerit non est mihi facile indicare, cum à consilijs ei non fuerim.

Etsi Deus semper generi humano communia confert beneficia, tamen aliud seculum alijs, & quidem singularibus ornauit bonis siue spiritualibus siue corporalibus.

Quæ

Qui ante diluuium uixerunt, terræ frugalitatem & sacrificiorum incendia per ignem cœlitus demissum, præ aliis habuerunt.

Post diluuium populus Iudaicus legis promulgatione, & constitutione sacerdotii, & politię Mosaicę donatus est præ aliis.

Postea seculum est aureum, quo Messias est exhibitus, & facta propagatio Ecclesię etiam inter gentes.

Sequentia aliquot secula regno Antichristi fuerunt afflicta.

Tandem cum Antichristus esset reuelandus, paulatim Deus ad eam rem patefecit aditum, Typographiã in Germania instituendo, artium & linguarum studia accendendo. Et sicut Deus non prius quàm nostro seculo uoluit Antichristum adeò aperte reuelari (licet subinde etiam superioribus ætatibus excitarent, qui Antichristum agnoscerent, & inelamarent.) Ita etiam non alio quàm isto tempore, quod reuelationem Antichristi uix 67. annis antecessit, pro sua æterna sapientiã artificium Typographicũ inueniri, & in lucem produci curauit.

Hęc à posteriori utrumq; colligi possunt, sed plures causas à priori qui cognoscere desiderat, eum remittimus ad scholam cœlestem, in qua Deum audiemus, & uidebimus à facie ad faciem.

Qui fuerint primi inuectores, & qua occasione eam inuenerint?

CAPVT V.

DE

De hac questione iudicari potest ex illis, quae supra ex-
posuimus. Iohannes Faustus, & Petrus Schafferdus, Io-
hannes Guttenger, celebrantur ab historicis inuentores.

Occasionem praebuit sculpendi facultas, & industria
aurificis. Cum enim alphabetum in aes incidisset Iohannes
Faustus, & obducto atramento in chartam impressisset,
cepit cogitare eadem opera integras sententias posse scul-
pi & excudi. Quia uero difficultatem peperisset maxi-
mam integras sententias sculperet, necessitas & res ipsa do-
cuit, separatim typos literarum fieri, qui pro uocabulo-
rum ratione collecti, & collocati exprimerent sententias.

Catalogus illustrium Typographorum.

CAPVT VI.

Operae precium est eorum memoriam conseruare, &
posteritati, qui hoc artificio siue inueniendo, siue excolen-
do rei literariae profuerunt. Nomina ergo subiicimus. Io-
hannes Faustus, Petrus Schafferdus, Iohannes Guttenger,
Aldus, Bombergus, Robertus Dinter, Gryphius,
Eucharius Ceruicornus, Thomas Wolffius, Ascensius, In-
singrinus Yechelus, Colinaeus, Robertus Stephanus, Fro-
benius, Paganus, Bebelius, Renatus Beck, Henricus Pe-
tri, Heruagius, Iohannes Oporinus, Gymnicus, Soter, Io-
hannes Ammerbach, Octavianus Scotus, Iohannes Pe-
treius Cratander, Victor Trincauellus, Hieronymus Sco-
tus, Quentelus, Valerius Doricus, Iohannes Montanus,
Iosephus Klug, Georgius Rhaw, Michael Lotter, Ambro-
sius Kirchner, Brubachius, & innumerabiles alii.

CA.

DE TYPOGRAPHIA
CATALOGVS LOCORVM

in quibus sunt officinae Typo-
graphicae.

CAPVT VII.

Nimis foret prolixum omnia loca enumerare, in quibus officinis Typographicis contigit hospitium, Quare tantum de insignioribus dicemus, & quidem nobis notis, Alij de alijs poterunt monere.

In Germania celebrantur haec loca: Moguntum, in quo primum inuentum hoc artificium dicitur, Argentina, Tubinga, Heidelberg, Ratisbona, Augusta uindelicorum, Vuormacia, Francosfurtum ad Mænum, Vrsellæ, Schleusinga, Noriberga picturarum editione, & richmorum celebris, Marpurgum, Erfordia, Dilinga, Vuiteberga, ubi Lutheri, & aliorum ante bellum germanicum præclara impressa sunt opera, per quæ puritas doctrina caelestis propagata est, & regnum Antichristi expugnatum: Lipsia, quæ initio sese repurgationi Ecclesiae opposuit, & pro Antichristo multa edidit, Sed postea scriptis pro defensione Adiaphorismi, & Maiorismi operam suam præstitit: Magdeburgum, quæ scriptis contra Interim Augustanum, & Lipsum, & contra corruptelas Adiaphoristicas, & Maioris præla sua cum magna Ecclesiae utilitate, & piorum omnium laude, alijs passim eius generis libros abhorrentibus commodaui adeo, ut musæolum seu cancellaria Dei à quibusdam tum temporis uocaretur: Quamobrè eam Dei illam ciuitatem confessione in media Cruce, & miraculose

iosa liberatione coram tota Ecclesia illustrem fecit. Quam laudem, et gloriam utinam non generatio noua Carrospororum deformasset sua in ministros Dei, et benemeritos ciues impietate, et scriptis mendacibus. Francofurtum ad Oderam, ubi Sphinx Augustana, ne deessent exemplaria, cum Ecclesie damno, et dedecore recusa est. Iena, quae operibus Lutheri imprimendis iussu Iohan. Friderici electoris senioris martyris Domini nostri Iesu Christi, sibi laudem, et nomen comparauit: Islebium patria Lutheri, ubi inter alia confessio contra corruptelas Ecclesiarum Mansfeldiacarum prodijt. Colonia, ubi inter alia Tomi Conciliorum impressi, utinam satis bona fide et integre, Antucypia, Louanium, cuius praela abusum à Sophistis passa, ueritati Euangelij cōtradixerunt. In Dania Hafnia, in Anglia Londiniū, In Heluetia Basilea, Tygurum, Berna, quae ueterum, et recentium innumerabilia opera in lucem dederunt, laude maiori digna, si non Sacramentariorum blasphemis erroribus in Ecclesiam spargendis praestitissent, turpe seruitium.

In Galliis Parisium, Lugdunum, In Italia Roma, sedes Antichristi Apocal. 17. decretis, et bullis, et anathematismis eius occupata, Bononia, Padua, Florentia, Venetia, ubi Aldus argenteis typis opera Ciceronis, et alia philosophica excudisse fertur. In Austria Vienna, quae historicos aliquot in lucem dedit. In Bohemia Praga. In Sclauonia Labacum, quae Cathecismū, et alia opera Lutheri Slaouice reddita characteribus ei genti notis hodie
impr.

imprimere, & ueram religionem per Dalmatiam & Turciam propagare dicitur.

In Polonia, Cracouia: In Borussia, Mons regius, Osiandri errori propagando sociis, ac successoribus eius Vongelo & Funcio, & Iagenteusel præbuit sua præla:

Catalogus linguarum, quibus hæctenus excusi promulgati sunt libri,

CAPVT VIII.

Variis linguarum generibus excuduntur passim libri, uti Hebræa, Arabica, Syriaca, Græca, Latina, Germanica, Danica, Italica, Hispanica, Gallica, Bohemica, Slavonica, Anglica, Polonica, Musconitica, Turcica, Aegyptiaca, & similibus.

Catalogus operum typis excusorum.

CAPVT IX.

Nimis prolixum esset operum typis euulgatorum hæctenus pertexere catalogum. Sed qui cupit ea de re sibi quoq; comparare notitiam, is Lycosthenis, & Gesneri Bibliothecas legat.

Huc etiam catalogus tabularum Chronographicarum, & insignium imaginum, & picturarum, quæ typis sunt in lucem proditæ, pertinet, sed quis illi consiciendo par esse queat?

De modo fundendi typos.

CAPVT X.

Plum-

Plumbum chalybe, & alijs metallis induratum liquefaciunt, & in matriculas, seu literarum archetypos infundunt, unde typi fiunt, qui leui opera, & mediocri industria ad usum preparantur.

De Collocationis artificio.

CAPVT XI.

Iuxta ordinem alphabeti collocator dispositos habet typos in cistulas patentes, ex quibus alium post alium, prout requirit literarum ordo in dictionibus, promittit, & collocat ordine.

Qui in hac re operas faciunt, honestis aluntur stipendijs, ac eos linguarum non profus rudes esse oportet.

Literarum differentie.

CAPVT XII.

Est etiam multiplex literarum differentia, que in quantitate, & qualitate consistit. Alie enim alius maiores, alie minores, alie obscuriores, alie clariores sunt. Item alie latine, alie grece, alie hebraice, alie linguarum aliarum.

De papyri inuentoribus.

CAPVT XIII.

Chartam in urbe Tyri à quodam, cuius tamen nomen ignoratur, inuentam esse, Polydorus Virgilius libro secundo de inuentoribus rerum capite octauo autumat. Fieri autem solet ex linteolis contritis.

C rum son

rum folijs scriptitatum est, teste Plinio, libro decimo tertio naturalis historiae. Deinde arborū cordicibus. Postea plumbis uolumnibus, et linteis, & cereis. Papyrus ab Alexandro post conditam Alexandriam in AEGYPTO ex frutice qui nascitur in paludibus AEGYPTI confectam esse, Marcus Varro opinatur.

De uarijs papyri speciebus
& signis

CAPVT XIII.

In officinis papyri usus est admodum necessarium impressoriae chartae uariae sunt species, & differentiae, quae sumuntur à loco, & à signis, Alia Francosfordiana, alia Basiliensis, alia Argentoratensis, alia Vuernungerodensis, alia Tubingensis, alia Dresdensis, alia aliorum locorū, & ciuitatū. Alia insignia Aquilae, alia turris, alia ursi, alia corui, alia alterius rei memorabilis habet.

De differentia inter scriptoriam &
impressoriam chartam.

CAPVT XVII.

Inter scriptoriam papyrus, & impressoriam differentia quaedam est. Nam impressoriam humidiores plerumque esse oportet, sed illam densiorem, & sicciorē, ne stramentum perfluat.

DE

DE TYPOGRAPHIA
DE INSPECTIONE

35

CAPVT XVI

Inspectio est potestas ab Ecclesia & Magistratu, quibusdam ecclesiasticis, & politicis uiris doctis, & pijs delegata, & commissa, qua libri, tum recens scripti, tum ex ueterum monumentis eruti inspiciuntur, & examinantur, & censentur, an editio eorum, & impressio fieri possit, cum Ecclesie & Reipublice, pietatis, & honestatis commodo, aut detrimento.

Duplex autem inspectio est, Alia uera, & legitima, & tolerabilis, & utilis, Alia illegitima, & intollerabilis, & perniciosa.

Vera, & legitima, quae fit à uiris ab Ecclesia & Magistratu delectis, eruditione, pietate, fide, & dono discernendi inter uera, & falsa, inter necessaria & utilia, & non necessaria, & perniciosa scripta praeditis, iuramento, aut simili obligatione obstrictis, quod summa diligentia uelint omnia legere, & expendere, & uera, & necessaria, & utilia scripta promouere in Dei gloriam, & Ecclesie, & Reipublice utilitatem, & non ex aliquo priuato affectu impedire.

Illegitima est cum inspectores agunt ñ, qui neq; ab Ecclesia, & Magistratu ritè ad eam rem uocati sunt, neque eruditione, neque pietate, neque fide, neque dono discernendi uera, et falsa in religionis negotio praediti, neque iuramento, aut alia obligatione adstricti sunt ad diligentiam, & fidem, & qui uera, & necessaria scripta opa-

C 2 primus

primunt, & erronea, & blasphe-ma, & contumeliosa
& iocosa promouent, in Dei contemptum, Ecclesie detri-
mentum, & Rerum publicarum incommodum.

QVÆ CAUSÆ?

Legitima, & salubris inspectionis efficiens remota,
seu authores sunt Ecclesia, & Magistratus. Nam utrius-
que est cauere, ne quid malè & perniciosi, præsertim con-
tra religionem, & honestatem in publicum prodeat, & ad
eam rem deligere homines idoneos, idque muneris legiti-
me eis commendare.

CONTRARIA EFFI-
cienti sunt.

Si soli Ecclesiastici sibi rapiant ius constituendi in-
spectores, ut Papa facit in regionibus sibi subiectis.

Aut si soli politici, & sola Principum aule sibi ius
rapiunt suos quos uolunt Scribas, prælorum Magistros, &
scriptorum reformatores, de religione, quam parum inteli-
gunt, nihil autem curant, instituendi, & confirmandi,
cum id ius non ipsis solis sed etiam Ecclesiasticis personis,
Superattendentibus, & Pastoribus, & Synodis competat.
Vt enim iudicium de doctrina cælesti, & rebus ecclesia-
sticis à Christo Ecclesie commendatū est, 1. Corint. 14. ita
etiam inspectio scriptorum theologorum, quæ pars quæ-
dam iudicii est, ad Ecclesiam simul pertinet, & nullo iure
à solis aulis, quæ si piæ sunt uix particula quædam, nedum
tota Ecclesia sunt, præripitur.

Efficio

DE TYPOGRAPHIS
EFFICIENS PRO-

37

xima sunt.

Viri docti, & boni dono iudicandi de uera religione præditi, & legitime ad inspectionem destinati. Ut autem aliis legibus occasionem præbuerunt mali mores, ita etiam libri hæreticorum, & scripta famosa, & contumeliosa, & religioni, & Reipublicæ perniciosa effecerunt, ut inspectio institueretur.

CONTRARIA EFFICIENTI

proxima sunt.

Si quis sine legitima uocatione id munus affectet, siue per ambitionem, siue per tyrannidem, siue alio animi morbo.

Si non adhibeantur uiri boni, & docti, & pii, & graues, & religionem ueram intelligentes, & dono discernendi uera à falsis, utilia ab inutilibus præditi, nec iuramento, aut alia obligatione solenni obstricti ad fidem & diligentiam, sed Athei, & Epicurei, & inepti, negligentes, & de fide laborantes, erroneis, & hæreticis opinionibus deducti, quales sunt inspectores, & inquisitores hæreticæ prauitatis, apud Papistas, Adiaphoristas, & similes ueritatis hostes.

MARTIALIS CAUSA.

Versatur autem inspectio circa scripta, tum ueterum, tum recentium autorum excudenda, aut publicanda.

FORMALIS.

C 3 Ad for

Ad formale causam pertinent conditiones, que prescribenda erant inspectoribus.

Vt quod debeant omnia diligenter legere, & expendere.

Ad normam uerae doctrine omnia accommodare, & uera ab erroneis discernere.

Necessarias confessiones, & corruptelarum refutationes imprimis promouere.

Necessarias peccatorum, & scelerum reprehensiones nullo modo impedire.

Item, ne propter personarum respectum abijciant uales, & necessarios libros.

Item, ne calumniosa, & famosa scripta admittant sine nominibus autorum.

Contraria causae formali sunt.

Impiae leges, & conditiones siue praescriptae inspectoribus, siue usu receptae, Nimirum.

Vt caueant ne quid imprimatur, quod impugnet Papam, & totum eius regnum diabolicum. Hac lex obseruatur in omnibus officinis Papisticis.

Vt concedant & promoueant omnia scripta, licet calumniosissima, & mendacissima, doctrinam Evangelicorum, seu Lutheranorum, ut uocant, & Principes, ac personas eorum, cuiuscunque ordinis, & dignitatis sint, oppugnantia. Hac licentia Cochlei, Staphyli, Lindani, & similium libri cum priuilegijs eduntur.

Vt caueant, ne quid contra Interim, hoc est, impiae & fucosae,

fucosas, & captiosas conciliationes religionum diuersarum edatur. Hæc lex in Sphinge Augustana & proposita, & subscripta est. Ac e contra omnia scripta interim laudantia, & defendentia summo fauore complectantur, & promant.

Vt caueant, ne quid contra Adiaphorismum, eiusque autores, & patronos publice extet. Hanc legem præter parthenopoleos plerique passim sanctè obseruabant illo tempore inspectores, & officinæ non sine grauissimo scelere, de quo in illo die rationem reddent ob talentum absconditum.

Econtra uerò dent operam, ut Pseudiaphoristarum, & Neminiatarum, epistolæ, scripta, & libri maledici magna celeritate prodeant. Huius legis sedula obseruatrice erat Vuiteberga, & Lipsia.

Vt caueant, ne quid contra Maioris paradoxa, de necessitate bonorum operum ad salutem edatur.

Econtra uerò Maioris commenta, & pseudoreuocationes, & inuectiue, & alia corruptelis eius plena scripta longè lateq; euulgentur. Has utraq; leges præla Adia phoristarum diligentissime etiam num hodie obseruant.

Vt caueant, ne quid contra synergiam Adamicæ uoluntatis in conuersione, eiusq; autores, & patronos prodeat.

Econtra, uerò manibus pedibusq; promoueant Synergistarum commentarios, in quibus illæ grauissimæ corruptele spargantur, & defendantur.

Vt caueant, ne quid contra Anabaptistas, & Sacramentarios, tum ueteres, tum nouos, edatur.

Econtra uero summam adhibeant diligentiam, ut Caluini, Bullingeri, Martyris, Bezae, Boquini, Kleinewicci, Harthenbergii scripta, & Philippi, & Vitebergicorum iudicia, et similia de testamēti dominici uiolatione magna copia, ut Zizania solent, proueniant. Has duas conditiones Heluetica praesula, & quaedam alia sedulo, & gnauiter obseruant.

Vt caueant, ne qua prodeant scripta, de disciplina Ecclesiastica ritē instituenda, de Synodo congreganda, in qua controuersiae praesentes legitime cognoscantur, & componantur:

Vt caueant, ne in libris editis peccata magnatum Ecclesiasticorum, & politicorum, qualia sunt, idolatria, colusio cum Antichristo, de sectiones, abnegationes, & per iuria persecutiones, & oppressiones ministerii, institutio noui Papatus, iniusta bella, prodiones, rapinae, auaricia, expilationes subditorū, uenationes immodicae, mendacia, adulteria, nominatim uel obiter perstringantur à Spiritu Dei arguente mundum Iohan. 16.

Vt caueant ne praesentium temporum uera historia prodeat, in qua uirtutes, & uitia, pia & impia facta ueraciter commemorentur.

In summa, ut Spiritui Sancto iniiciant frenum, ne ueritatem ita ut par erat, & necessarium ad salutarem hominum conuersionem, dicat, sed uel aduleatur, uel obmutescat. Haec, & similes conditiones impiae sunt, quia ueritatem, & gloriam Dei opprimunt, & mendaciis omnia replent, & Ecclesis, & rebus publicis iram Dei, & exitium afferunt.

Finalis.

FINALIS.

Fines legitimæ inspectionis sunt ueris pralorum usus,
 & ne quid in religionis, ueritatis, & honestatis detrimen-
 tum detur in publicum.

CONTRARIA FINALI SVNT.

Sub pretextu inspectionis utilium, & necessariorum
 librorū impressionē remorari, et impedire, & opprimere.

Ac econtra erronea, blasphemata, magica, famosa, scur-
 rilia, & Elhnica, iocosa, & impudica promouere scripta,
 ut in multis locis fit, in quibus conditiones impia, de qui-
 bus paulo ante, obseruantur.

QUI EFFECTVS.

Legitimæ inspectionis effectus sunt iuuare illustrati-
 onem, conseruationem, propagationem ueræ puræ, & syn-
 cere doctrine, & impedire errorum, & corruptelarum
 propagationem, & defensionem.

Iuuare confessionē ueritatis, & refutationem errorum.

Et impedire ea, quæ ueræ confessioni sunt contraria.

Impedire blasphemos, famosos & contumeliosos libel-
 los hæreticorum, Nemini starū, & seditiosorum hominum.

Cauere, ne falsis dogmatibus scandala & dissidia ex-
 citentur.

Verum, & salutarem consensum, & concordiam in
 doctrina Christi promouere.

Cauere ne contumeliosis, & famosis scriptis pax pu-
 blica turbetur.

Promouere ueram, & necessariam disciplinam Ec-
 clisia-

ecclasticam, iuuare ædificationem Ecclesiæ in concionando penitentiam impijs, & sceleratis.

Cauere abusus, & oppressiones prælorum.

Prodesse Ecclesiæ, & Reipublicæ, & posteritati.

Iuuare repressionem, & confusionem impiorum contumacium, quos falsa Ecclesia cum uiris huius seculi subinde excogitat, & molitur.

CONTRARIA SVNT.

Iuuare errorum, & corruptelarum propagationem, & defensionem.

Promouere ea, quæ ueræ confessioni sunt contraria.

Promouere blasphemos, & famosus, & contumeliosos hæreticorum libellos, ut faciunt inspectores inter Papistas, & Adiaphoristas.

Permissione librorum hæreticorum, & corruptelarum præbere causam scandalis, & disidijs Ecclesiæ.

Necessarias conciones penitentia, & reprehensiones peccatorum impedire.

Promouere conatus impios politicorum contra ministerium, & disciplinam Ecclesiæ, ut sunt uaria decreta de formulis religionum, de compositione controuersiarum per amnestiam, de formulis illegitimis Consistoriorum, & uisitationum, nimirum quæ non congruunt cum uerbo Dei, & Ecclesiæ libertate.

Exercere uarios abusus, et oppressiones prælorum, ut sit in edictis illis, ne quid in exteris etiã regionib. uspiã imprimatur, nisi prius à se approbatum, Quasi uerò in alijs locis non etiã

non etiã

non etiam sint inspectores, & periculum non potius cadat in scriptorem, quam in inspectorem, uel approbatorem.

Neceſſariorum ſcriptorum inhibitione, et inutilium permiſſiōe turbare, et claudere Eccleſia, et Reipub. commodare.

Libellos ad inſpiciendum miſſos non modò non admittere, ſed etiam iniuſte detinere, & autori nolle reſtitueres. Quod ſi non furtū, certè uis iniuſta eſt uiris bonis indigna.

Affligere Typographos teſtimonia ueritatis ad Dei honorem & proximi utilitatem promouentes, & interea publica lupanaria fouere, & ſodomitica ſcelera impunita dimittere.

QVAE COGNATA?

Cum inſpectione librorum edendorum cognationem habent inſpectiones aliarum rerum, ut Eccleſia, Reipublica. Sed non eſt difficile differentias inuenire.

QVAE OPPOSITA?

Legitimæ inſpectioni opponitur illegitima inſpectio, de qua ſupra diximus. Ea autem fit uarijs modis.

1. Cum perſonæ non habent legitimam uocationem ab Eccleſia, & Magiſtrato.
2. Deinde cum non ſunt idoneæ ad id officium, ut ſit, cum ſutores, & cereuiſiarum coctores conſtituuntur inſpectores, qui uix inter cereuiſiam, & aquam, nedum inter uerum, & falſum in religione diſcernere poſſunt.
3. Cum ea provincia demandatur illis, qui alijs ſatis habent quod agant, & non poſſunt huic negotio uacare, qui perſeſti laborū, et quod non capiunt inde multū commodi,

neglia

negligentissimè inspectioni præsumunt. Hoc fit, ubi tantum aulici, Consiliiarii, Scribæ, & Curiales, & iureconsulti inspectores agunt, ut docet experientia.

4. Cum non iureiurando aut simili obligatione astringuntur, ut gloriæ Dei, & confessionis ueritatis, edificationis Ecclesiæ habeant accuratissimam rationem, nec certæ leges præscribuntur, sed omnia ipsorum uoluntati, & affectibus relinquuntur, ut quæ uelint admittant, quæ propter personas non placeant, impediant.

5. Cum inspectores non bona fide agunt, sed contra religionem, pietatem, & honestatem promouent erroneas blasphemias, contumeliosas. Item cum claudunt præla scriptis ad religionis, & ueritatis propagationem pertinentibus, saltem ne offendant hæreticos, aut magnos Dominos, & recludunt ea ethnicis, & philosophicis, iocosis etiã, & scurrilibus libris, sicut multis in locis AEsopus, Eulenspiegelus, Cornelius Agrippa, & similes autores locum habent, et sacra Biblia, & confessiones ueritatis exulant.

Porro istam illegitimam inspectionem coram Deo nõ excusat uetus consuetudo in aliorum exempla, sicut quidam ociose somniant. Nam eodem argumento lupanaria excusari possunt, de ueteri enim consuetudine ethnica in multis magnis ciuitatibus tolerantur contra magistratus officium, in pietatis & honestatis, & salutis detrimentum. Nam ut consules & senatus in magnis ciuitatibus lenones agant, prohibitum est, Rom. 13.

An lites

An literati, & praesertim Theologi legitimæ
inspectioni suos libros subijce-
re debeant.

CAPVT XVII.

Etsi sua natura libera sunt praela, tamen legitima im-
spectioni pertinenti ad praela eius loci, ut hactenus eam de-
scripsimus, literati omnes facile sese subiiciunt. Quis enim
non eam Ecclesie, & Magistratui, cuius autoritate illa le-
gitime fit, praestet obedientiam?

Deinde nemo ex doctis est adeo arrogans, qui non
cupiat alios doctos, & probate pietatis viros, bona fide,
quid desiderent indicantes habere censores, modo nihil sine
ratione ex uerbo Dei assignata uituperent, aut impedi-
ant, & liceat ab ipsis ad aliorum praela, & iudicia trans-
ire.

Tertio, ut pii et docti uiri suis scriptis Ecclesie Reipub-
licae quaerunt commoda, ita facile possunt pati, ut legitima
de ijs ex uerbo Dei exercentur iudicia, an sint uera, & u-
tilia, an uero secus.

Quarto norunt spiritus Prophetarum, ipsis Prophe-
tis subiectos esse debere, ac in Ecclesia eam à Deo potesta-
tem factam esse singulis, ut probent omnia, & bona tene-
ant, mala uero abijciant. Quare non moleste ferunt legiti-
mas censuras eorum, qui uocati ab Ecclesia & Magistratu,
ad eam rem destinati sunt, cum alias oporteat singulorum
subire iudicia, praesertim cum illi non impediunt, sed pro-
mouent bona, & salutaria scripta.

An li.

An literati, & præsertim Theologi illegiti-
timæ inspectioni suos libros
debeant subijcere.

CAPVT XVIII.

Vt ea, quæ legitimè, & rectè fiunt, nemo improbare de-
bet, ita quæ contra fiunt, nullo modo piè approbari possunt,
siue re, siue uerbis, siue silentio. Nam Dei mandatum est,
ne dicas falsum testimonium. Item uerè qui malum bonū,
& bonum malum dicit.

Deinde quis 3; Christianus, præsertim Theologus tenetur
Ecclesie uis suum coferuare, & cauere, ne quid de
eo imminuatur. Cum autem inspectio illegitima Ecclesiam
suo iure, & commodis priuet, ut in superioribus est indica-
tum, quis pius bona conscientia suos libros ei submittat.

Tertio illegitima inspectio nihil aliud facit, quàm quod
spiritui sancto frenum iniiciat, eos obturet, ne dicat uerita-
tem. Cum autem oporteat cuiilibet Ministro Dei os, & sty-
lum liberum esse ad dicendam, & scribendam ueritatem,
sine hominum respectu, iuxta dictum, Exalta uocem tuam
sicut tubam, Clama ne cesses. Item, in sta tempestiue, & in
tempestiue, argue, & increpa grauitè, Et, Peccantem cor-
ram omnibus argue, qua conscientia quis poterit in eiusmodi
seruitutem consentire, ne quid edat, nisi prius concessum
ab illis iniustis prælorum oppressoribus.

Quarto, Theologum oportet prælorum illegitimam illam
occupationem per uiros politicos, et tyrannidè, et inaudi-
tam crudelitatem, ueritati, cõfessionem, et posteritati nocentem re-
prehendere, Quomodo ergo ipse suo exemplo eam comprobet?

Quinto

Quintò quid profit literato, si suos libros illegitime inspectioni subijciat, cum nihil aliud inde reportet, quam molestiam. Nam illi iniusti censores scripta illa, quæ ad gloriam Dei, & propagationem ueritatis, & corruptelarum refutationem, & salutarem impiorum conuersionem pertinent, uel prorsus sine omni probabili, nedum pia, & firmatione reijciunt, aut tenebris custodienda, aut tuncis deuoranda tradunt, interea spe uana lactantes autorem, de editione ad Calendas Græcas futura.

Sextò, Omnia illa scelera, et peccata quæ ab illegitimis inspectoribus, perpetratur in ueritatis oppressione, mendacii et corruptelarum, & calumniarum propagatione confirmari necesse est ab ijs, qui sese talibus subijciunt sine iusta protestatione, et exceptione, quod non possumus ea, quæ ab ipsis præter ius et æquum fieri probare, & quod nolimus eorum præiudicijs assentiri, si contra uerbum Dei, & sine ueris, & certis rationibus pronuncient.

CAPVT XIX.

An bona consciëntia Magistratus possint literatis, et maximè Theologis imperare, ne quid sine sua inspectione, & censura prælis in sua ditione excudant.

Quenque Magistratum habere rationem prælorum suorum, & cauere, ne quid contra pietatem, et honestatem prodeat in uulgus, id non impugnatur. Sed cum non tantum ad Magistratus, uerum etiam ad Ecclesiam simul ius inspectionis pertineat, quia inspectio sit pars iudicij de doctrina, quod Christus Ecclesie sue delegauit,
non dea

non decet politicos uiros totum illud ius rapere, & usurpare, uerum cum Ecclesie, & Ministerij, seu Superattendentium, & Pastorum consensu talia decreta facere, & idoneis hominibus id officium demandare. Quod si non fiat, sed Magistratus id ius sibi soli, & Aulicis suis adeo asseribat, ut Doctoribus, & scriptoribus Ecclesie edicat, ne quis prius confessionem suam, aut scripta de religione edat, quam id ei à se, & Aulicis suis, religionem uel non intelligentibus, aut carnaliter, & politicè de ea iudicantibus, sit permissum, grauissimè ea in re peccat.

Primum quia agit contra mandatũ Dei, Non furtum facies. Sacrilegiũ enim committit, dum Ecclesiã, quæ habet ius de doctrina, & scriptis, & operibus ministrorũ & doctorũ suorũ, 1. Cor. 14. iudicandi, suo iure priuat, & id ad Aulicos partim non idoneos, partim alijs rebus occupatos, partim impiè de religionis negocijs iudicantes transfert. Sunt quidem gubernatores politici, si amplectuntur synceram doctrinã, etiam membra Ecclesie, ac habent potestatem probandi spiritus, ut alij singuli Christiani. Verũ sicut non licet alijs Christianis singulis totũ ius sibi adscribere, ita ut Ecclesie uel præiudicetur, aut suum ius præripiatur. Sic nec p̃ijs gubernatoribus licet ideo, quia Christiani sunt, multò minus ideo, quia Magistratum gerunt sibi solis exclusa Ecclesia rapere potestatem interdicens, quæ scripta edì aut op̃rimi debeant.

Secundò agit contra suum officium. Nam Magistratus debet esse custos utriusque tabulæ, & operam dare, ut Ecclesia, & p̃ij ministri retineant eam libertatem, quam

re, ut Ecclesia, & p̄i ministri retineant eam libertatem, inquam à Christo acceperunt, nimirum uoce & stylo ueritatem Dei propagandi, & propugnandi, contra errores, & corruptelas sanæ doctrinæ, sine ullius hominis, aut etiam Angeli respectu Ga. 1. Tit. 1. 1. Timoth. 5. 2. Timoth. 3. Esa. 58. At quid illi faciunt aliud, qui de suo tantum peruerso arbitrio, & nutu uolunt Doctorum Ecclesiæ scripta ad confessionem, & propagationem ueritatis, & conuersionem hominum necessaria, stare, aut cadere, exprimi aut opprimi, euulgari, aut occultari, quàm quod contra suum munus sibi diuinitus mandatū se Dominos decalogi constituant, & contra Dei interdictum Ecclesiæ Doctoribus, atq; adeo Spiritui sancto, leges dicent, et capistrum, aut frenum iniiciant, ac imperent, ne quid doceat, aut scribat ad Ecclesiæ edificationem, sine suo iussu, aut concessu.

Tertio, quia confundit discrimina, & metas uocationum Ecclesiasticæ, & politicæ, & instituit nouum imperialem Papatum. Deus enim Magistratum, & ministerium uerbi distinxit, & sua cuique iura, & officia præscripsit, quæ si utrinque seruantur, rectè Ecclesia, & Respublica curatur, & neutra aliam impedit, sed potius se mutuo iuuant.

Ministorum Ecclesiæ iura sunt doctrinam puram, & sinceram uoce, & stylo plantare, & propagare, & sacramenta rectè administrare, pro se & populo orare, & bono exemplo gregi præire.

Secundo arguere, damnare, & si necessitas postulat, excommunicare uoce, & stylo peccata, & peccatores, con-

D tra pri-

tra primam, ut sunt idolatræ, erroneæ, heretici, pseudodoctores, blasphemæ, incantatores, abnegatores ueritatis, contemptores uerbi, & Sacramentorum, & similes; & secundam tabulam, quales sunt Tyranni, oppressores, & persecutores, homicidæ, proditores, adulteri, scortatores, auari, usurarij, fures, prædones, falsi testes, conuiciatores, mendaces, iniusti occupatores bonorum alienorum, & similes.

De his singulis ministri ius Dei præscriptum habent, & non tenentur ullius hominis, siue Magistratum gerat, siue priuatus siue auctoritatem, aut edictum expectare, & curare, sed Dei mandatum sedulo exequi.

Quod si faciunt commodum Reipublicæ non impediunt, sed promouent. Nam homines uerbo Dei instructi, piè, & honorificè de Magistratu sentiunt, eiq; ut Dei ministro libentius parent, et fidelius imperata præstant, et propter pietatem sibi à sceleribus cauent, atq; ita minus negotij successunt suis gubernatoribus, imò sua oratione pro Magistratu, & uera pœnitentia, & pia conuersatione multa mala impendentia, & exitium Rebus publicis minantia auertunt, aut mitigationem præsentium impetrant.

Ac falsissimum est quod impij Monarchæ, aut gubernatores somniant, quod si Ministris Ecclesiæ non iniiciant frena, & non præscribant eis quid, & quomodo docere, & clauas administrare debeant, ad seditionem fundamenta iaciant, & Magistratui habenas, & clauas gubernaculi excutiant.

cutiant. Nam Ministri Ecclesie intra metas sue uocationis sese continent, & iuxta Dei prescriptum, & mandatum docentes, & clauis, & sacramenta administrantes, nihil eorum faciunt, quæ Magistratus potestati quicquam derogant.

Deinde ipsi Ministri cum sua uita, & bonis, & rebus externis subiecti sunt illis. Ac testatur experientia ueros, & synceros Doctores, eorumq; auditores, nunquam mouisse seditionem ullam. Sed falsa dogmata profuentes, eis quæ addictos ad naturam Sathane accedentes, & mendaces, & homicidas, ac seditiosos fuisse, omnium temporum historie comprobant. Ac nostrum seculum in Thoma Motetario, & Anabaptistis Munsterianis, & nunc in Bremensibus tristia exempla uidet.

Magistratus politici iura sunt esse custodem Decalogi, & nutricium Ecclesie, & honore afficere opus bonum, & benè agentes, ac terrori esse malo operi, & uindictam exercere aduersus malè agentes, Rom. 13.

Non debet Magistratus Dominus esse, aut euerfor Decalogi, & sibi rapere ius, decreta de religione, de cultu Dei, de Ecclesie gubernatione, de modo docendi, & administrandi clauis, prescribendi Ministris Ecclesie, sed dare operam, ut pura, & sincera doctrina propagetur, & religio à ministris Ecclesie, & sacramenta, & clauis, & quæ ad gubernationem Ecclesie pertineant, eo modo, ut in uerbo Dei prescri-

ptum est administrantur, & honorare Ministros, fideliter suo munere fungentes, Terrere autem contrarium agentes, ut sunt hæretici, & blasphemi, & abolere idolatriam suis subditis nocentem.

Deinde Magistratus est administrare Rempublicam iustis legibus, & conseruare disciplinam externam, & pacem, & in uiolatores legum, & discipline, & turbatores pacis suo neruo, & gladio animaduertere, Rom. 13.

Intra has metas dum Magistratus sese continent, gloriam Dei, & Ecclesiæ adificationem, & propagationem iuant, & mutua illam coniunctionem diuinitus inter Ministerium & Magistratum sancitam conseruant.

Deus enim utrosque hoc modo sibi inuicem copulauit, & subiecit.

Ministri Ecclesiæ suis fortunis, & externis, & politiciis actionibus, & corpore ac uita sunt legibus Magistratus subditi, & ab eo tanquam ministro Dei, si benè agunt, honorem, sin male, terrorem, & pœnam expectant.

Suæ autem conscientiæ, & fidei, doctrinæ, & confessionis, & operum uocationis suæ, non Magistratum agnoscunt Dominum, nec ab eo quid, & quomodo in ministerio agere debeant, noua decreta accipiunt. Sed à Deo pendent qui Dominum conscientiarum sibi uendicat, & modum docendi, sacramenta, & clauas administrandi, & cætera officia ministerij certo uerbo præscripsit.

Si quid uerò Magistratus illis in rebus desyderat, tenentur quidem ei reddere rationem doctrinæ, & factorum suorum in Ministerio, ita tamen, ut non iuxta ullius hominis ar-

nis ar-

nis arbitrium, sed iuxta Dei uerbum de ijs iudicetur.

Econtra Magistratus ministerio diuinitus instituto sua conscientia, & anima sunt subiecti, tenentur ab ipsis uerbum Dei audire, & suscipere, discipline ecclesiasticæ, seu clauibus se submittere, & sacramentis uti, piè uiuere, & alijs bono exemplo præire, & scandala cauere.

Deinde Christo portas aperire, & plantationem Ecclesiæ iuuare, & quæ eam impediunt, remouere:

Porro ista harmonia diuinitus sancita, & distincta officia commiscantur, & confunduntur, si Ministri Ecclesiæ sibi ius Magistratus arrogent, eorumq; iurisdictioni sese eximunt, ut fecit Antichristus Romanus: Aut econtra, si Magistratus ius ministerij sibi rapiant, & iurisdictioni sese eam eximant, quod fit cum inconsulta Ecclesia, & in fraudem ministerij, decreta faciunt, nihil docendū, aut scribendum, aut edendum à Ministris, & Doctoribus Ecclesiæ esse, quod non ipsi prius approbarint. Item, cum sua suorūq; etiam atrocita, & manifesta delicta argui, & damnari iuxta Dei præscriptum uetant.

Verum ubi Deus, aut Ministris Ecclesiæ præcepit, ut nihil doceant & edant, nisi prius à Magistratu iuxta aulicam, & carnalem sapientiam approbatum: Quis Prophetarum, aut Apostolorum, Principum, & Regum, & politicorum Dominorum consilio, & consensu, & decreto ministerium suum obiuit. Imo Prophetæ, & Apostoli contra Magnatum edicta, & decreta, ueritatem, ut à Deo iussi erant, proposuerunt publice, usi hac regula, Oportet Deo magis obedire quàm hominibus, Act. 5.

D 3 Deinde

Deinde ubi Deus Magistratui hoc ius dedit, ut Ministris Ecclesie ex suo cerebro decreta uerbo Dei contraria de doctrina, & administratione clauium, & sacramentorum, & alijs officijs ad Ministerium pertinentibus prescribant? An non Deus ipse illa omnia prescripsit, quae à Ministris suis uult fieri, per Iesum Christum, quem solum uult audiri, ac post eum uocem illius sonantes. Mat. 10. & 17.

Si autem Deus neq; Ministris suis mandauit, ut expectent Magistratus auctoritatem, & noua decreta quid docere, aut facere in ministerio suo debeant siue uoce, siue stylo, neq; Magistratui id munus commisit, ut talia faciant, quis est tam habetis iudicij, qui non intelligat, isto modo à politicis nouum Imperialem Papatum, quem Germanorum Propheta Lutherus saepe praedixit, contra Dei uerbum institui?

Sicut enim Pontifex Romanus sibi ius gladij corporalis, quod Magistratui est à Deo commissum, arrogauit contra edictum Christi, Principes gentium dominantur, Vos autem non sic, ac eo multis modis abusus est, ad Regum, & Caesarum oppressionem, & politiarum, & Ecclesiarum euerfionem, Ita nunc Gubernatores politici, seu potius crudeles Tyranni, ius gladij spiritualis, qui Ecclesie, & ministris eius diuinitus est commendatus Ioh. 20. Mat. 18. rapiunt, eoq; ministerium opprimunt, & plantationem, & propagationem ueritatis, & salutarem hominum conuersionem impediunt, dum non ex Dei prescriptio, sed secundum suas sapientiae, uel potius stultitiae humanae regulas, ora, & stylos Ministrorum Dei, et Ecclesie agere imperant.

& sc

et se suosq; iniustos questores, & imprudentes Consiliarios constituunt Episcopos, & summos Dictatores ministrum, & gubernationis Ecclesiasticæ, ubi de puritate doctrinæ, de cl. uibus, & sacramentis, de uera cura animarum, de confessione ueritatis, & oppugnatione hæresium, de editione librorum ad Ecclesiæ edificationem utilium, & si milibus rebus Ecclesiæ iudicandum est.

Sicut autem Deus, et Ecclesia Antichristum Romanum damnat, & execratur 2. Thes. 2 Apoc. 14. & 18. Ita absq; dubio extremè detestatur illum nouum Cesareopapatum, ut Lutherus nominat, in quo politici uiri sese in templum Dei collocant, et contra Deum, ac Ecclesiam sese effertunt, & se pro Deo ostentant, dum noua decreta ministerio à Christo ordinato contraria condunt, & promulgant, ac sub pena exilij, & damnationis seruari uolunt.

Nos reges, Principes, Consules, etc. Imperamus uobis Ecclesiæ ministris, ut iuxta formam, quam uobis præscribimus doceatis, Quia nos sumus custodes utriusq; tabulæ, et habemus potestatem nouas formas docendi præscribere, quo pax, et concordia seruetur inter dissentientes. Item hunc librum, hoc corpus doctrine, ab isto homine præscriptum debetis suscipere, et per omnia probare. Si quis contra aliquid disputauerit, eum concilium nostrum damnabit, et nos eum proscribemus. Non enim potuit autor illius uoluminis errare, eiusq; scripta iure canonicis, et authenticis æqui parantur.

Item, Cum docetis de Cæna Domini, non debetis di-

cere, in Cæna in, & cum pane exhibetur uerum, et substantiale corpus Christi, quod in cruce pependit.

Item ne quem in Confessione examinatis, quid de capitibus doctrinæ controuersis sentiat. Nam id esset conscientia carnificinam instituere. O scelus.

Ne quem ab absolute, aut baptismo, aut cæna suspendatis, aut remoueat, nisi prius in aula, & consistorio nostro accusatum & damnatum nostra sententia. Nam secus faciens infamat homines, & Magistratui regalia sua præripit. O impietatem Pontij Pilati iniquitatem, & tyrannidem exuperantem.

Ne quem scandalosum peccatorem iubeatis cum Ecclesia, & offenso fratri reconciliari denunciatione ex gestu, quod lapsus agnoscat suum delictum, & petat ne quis suo malo exemplo innitatur. Nam hoc est humanis traditionibus onerare conscientias.

Item ne in publicè delinquentes, & à Magistratu punitos exerceatis censuram Ecclesiasticam. Nemo enim debet duplicem penam pati.

Item ne hæreses, & hæreticos, nimirum Papistas, Pseudodiaphoristas, Synergistas, Victorinianos, Maioristas, Sacramentarios, Stenckfeldianos, Osiandristas, & similes errores publicè damnetis. Nam ista non faciunt ad ædificationem, sed tantum irritant homines, & Magnatum odia conciliant, et dissidia augent. Et scriptum est, Nolite iudicare, & non iudicabimini. O reformatores Ecclesiæ Dei, ubi manet illud Matth. 7. Cauete uobis à Pseudoprophetis, Item Probate spiritus an ex Deo sint.

Item

Item non debetis neq; nostris, neq; externis prelis edere ullum scriptum, siue contra Antichristum, siue contra aliorum hereticorum corruptelas, nisi de nostra uoluntate & consensu, Et quamuis nos nullis rationibus fulti, in patrociniū Antichristi, & aliorum erroneorum, scripta uestra mora censuræ, & situ, & incarceratione oppresserimus, ac ea contra libris eorum, qui corruptelas ferunt, & ueritatem corrumpunt, & uenena propinant incautis, & uineam Domini uastāt, omnes fenestras, & aditus patefaciamus, tamē non debetis nos impietatis & defectionis à uera doctrina, & declinationis ab exemplo nostrorum maiorum arguere, & damnare. Nam & nos Spiritum Dei habemus, & errare non possumus, nec quenquam ferre uolumus, qui nobis contradicat, & quicquam præscribat.

Possēt similibus decretorum Cesareopapatus longus texti catalogus ex historijs, & actis Ecclesiarum sub B. uangelicis Dominis, nisi prolixitatem uitaremus, & non aliam occasionem expectaremus,

Quartò, Quia tyrannidem exercet in libertatem Ecclesie à Christo partam. Nam Deus omnium piorum, maxime uerò Theologorum uocem, & stylum in asserenda, & propaganda, & defendenda ueritate, quæ est commune patrimonium Ecclesie, uult esse liberam, & præter iudicium Ecclesie, ad normam uerbi Dei faciendum, nullius hominis, aut Angeli autoritati, & imperio ita subiectam, ut de eius arbitrio fiat, aut intermittatur, Gal. 1.

Et hanc libertatem Dominus noster Iesus Christus suo sanguine Ecclesie suæ comparauit, & nunc sedet ad dex-

teram patris, ut eam tueatur contra illos Tyrannos, qui conantur seruitutem illam Aegyptiacam imponere ministerio suo, ne quid dicat, aut scribat à se non prius approbatum, ac permiffum.

Nihil Deus in Ministro, & Doctore Ecclesie magis desiderat, quam ut liberè scribat, aut dicat, quæ ad Dei gloriam, & Ecclesie ædificationem pertinent sine ullius hominis respectu. At illi Tyranni se prius Consuli uolunt quid docere, aut scribere debeant, & ex suis cerebris politica sapientia, seu potius insipientia plenis decreta dictare præsumunt de rebus spiritualibus, quas parum intelligunt.

Quintò, Quia *ὁ δὲ πρῶτος ἰσὺς* uicium grauissimum incurrunt, dum neglectis ijs, quæ propius ad ipsos pertinebant, aliena curant.

In administratione Reipublicæ satis quod agant habet legibus condendis, litibus componendis, bonis defendendis, & coercendis, ac puniendis sceleratis. Hæc si sedulo, et gnauiter tractarent, negocij, et molestiarum satis capefferent, nec affectarent Ecclesie administrationem, quæ illis non est commissa. At quia ocia agunt, & Consultariis suis plerumque impietate, & auaricia, & naturali odio aduersus Ministeriũ inflammatis, omnia committunt, cū magno suo, & subditorũ demerito, adeo sibi, uana persuasione inflati, quasi ipsi sint in rebus religionis omnium peritissimi, & dona habeant discernendi spiritus, et præ alijs inde usque à proauis possideant Spiritũ sanctũ. *ἵπουν* contra Dei uoluntatem et contra Ecclesie consilium dictandi ministris Ecclesie, hunc librũ debes edere, *ὃν* nō debes edere, quia nobis nō placet.

placet. Et si enim uerbo Dei omnia in illo probantur, tamen ne offendantur Magnates, nec accersatur periculum, ne ueniant Romam, ne augeatur dissidium, ne excitentur heretici, & respondeant, ideo imperamus pro nostra maiestate ne des in publicum. Satis pro imperio, egregiæ sanæ rationes, non ex uerbo Dei, sed ex mundi stultitia, & cæca philosophia, seu ex iuris prudentia promanantes, quas nisi Spiritus sanctus approbauerit, paratum ei exilium est. Iesus Christus erat omnium prudentissimus, & ad iudicandum causas politicas potentiam, & dona habebat præstantissima, tamen intra metas sue uocationis sese continet, & postulanti, ut sibi & fratri ius dicat, respondet, Quis me constituit iudicem? Sic Politici Domini cum suis aulicis debebant cogitare, Quis me constituit dictatorem Ecclesiæ, ut mihi liceat Ecclesiæ ministris præscribere, quid docere, aut edere, & quid omittere debeant, Sed dum secundum Dei præscriptum suo funguntur officio, nullū in illos ius habeo.

Sexto. Quia uiolant perpetuam consuetudinem Ecclesiæ, quæ à pijs Magistratibus semper est obseruata, ut patet ex historiis, & legibus Imperatorum, nimirum, ut de doctrina, & rebus ecclesiasticis, & de libris edendis, non solum politici Domini, ut isti faciunt, sed Doctores Ecclesiæ res illas intelligentes, & donis ad eam rem à Deo ornati censerent, & iudicarent. Rectè ille dixit tum fore artes beatissimas, si tantum illi de iis iudicarent, qui earum peritiam, & cognitionem habeant: At multò melius res Ecclesiæ haberent, si tantum eas intelligentes, iuxta Dei uerbum, & non iuxta distorta rationis
 & phi

Et philosophiæ præiudicia tractarent, Et si controuersia ex præscripto uerbi Dei, Et non iuxta hominum carnalium placita dirimerentur.

Septimò: Quia multum nocent suæ politicæ administrationi hoc pacto. Nam si quid aliquando editum fuerit contra aliquem Tyrannum, sicut interdum fieri necesse est, tū ille irascetur non scriptori, sed Domino illius loci, quem no uerit omnem potestatem prælorum ad se traxisse, ac colliget non sine eius consensu id fieri, eaq; occasione mouebit bellum.

Octauò, Quia tali ratione multum nocent ueræ religioni, Et Ecclesiæ plantationi, Et posteritati. Nam ad ueram religionem propagandam tum ad alios, tum etiam ad posteros, Et ad regnum Diaboli eneruandum, Et ad impediendum errores, Et impios cultus, opus est libera confessione, non tantum quæ ore fiat, sed etiã quæ stylo. Quod quidem adeo planum est, ut nemo negare possit. Id enim confirmat experientia, Et historia ecclesiastica. Nisi enim Apostoli, Et eorū successores, Et Patres stylo, Et libris editis hereticorum opiniones, Et errores refutassent, Et ueram doctrinam defendissent, quid quæso posteritas de ueritate nosset. Quæ enim uoce tradiderunt obliuioni tradita sunt, sed scripta eorum à posteritate lecta sunt, ac Dei beneficio ueritas tandē apud aliquos obtinuit uictoriam. Quod si tum soli Magistratus, Et Aulici impij ad sese iuedendi libros traxissent, ut hodie fit, Et propter aulicæ rationes impedissent necessarias confessiones, quæ à Doctoribus eius seculi sunt editæ, an non obstitissent propagande

gandæ ueritati ad posteros? An non iure accusari possint proditæ ueritatis? An non posteri de his iure querantur, quòd illorum tyrannide priuati sint ueritate, quæ aliàs per scripta piorum Doctorum fuisset propagata.

Deinde illud politicorum exemplum nocebit posteritati. Nam etsi forte aliqui nunc Magistratus sint eius sapientie, & pietatis, ut possint de libris, qui edendi sunt iudicare, idq; etiam bene, & gnauiter præstent, ut necessaria, & Ecclesiæ utilia scripta non impediant, tamen cogitandum esset exemplum illud ad potestatem duraturum. Sequentes enim gubernatores, qui ut plerumq; accidere solet, minus sapientie in rebus diuinis, minusq; pietatis habebunt, ac forte etiam heresi aliqua occupati erunt, uolēt eandē potestatem sibi usurpare, in dō putabunt se rectē facere, cum maiorum uestigiis insistere uideantur.

Hi ergo quid hac occasione aliud facient, quàm quod ueritatis propagationem impedituri, & mendacium, & falsa dogmata sint promoturi: id uerò peccatum recidet in autorem istius scandali, ut patet ex Hieroboam, & aliis, qui suis malis exemplis Israel peccare fecisse dicuntur.

Nondò: Quia hoc pacto Magistratus politici accersunt sibi, & suis à Deo omnis generis pœnas corporales, spirituales, & nisi pœnitentiã agant æternas. Deus enim istā tyrannidē aduersus Ecclesiam & regnū filij sui, & nouam illam meretricem Babylonicam, seu Cæsare opapatum, & confusionem potestatis Ecclesiasticæ, & poliicæ, non potest impunitam relinquere, ut testantur uetera, & recentium exempla. Huc pertinent omnes illæ horrendæ comina-

tiones

iones penarum spiritualium, & corporalium, & aeternarum, qui de Antichristo Romano, eiusq; Collegis, membris, seu sociis in sacris literis reperiuntur. Aequalium enim, & similium peccatorum, par, & similis pœna esse solet. Ostendimus autem supra Papalem Antichristum, hoc est, confusionem Ecclesiasticæ, & politicæ potestatis, quam Papa, & Ecclesiasticæ personæ instituerunt contra Dei uerbum, Principes gentium dominantur, uos autem non sic: Et nouum imperialem Antichristum, hoc est, confusionem illam, qua Magistratus politici sibi rapiunt ius utriusque gladii corporalis, & spiritualis, esse paria.

Sed dicamus sanè aliquid de istis pœnis, quæ à politicis accersuntur, si fortè aliquis earum consideratione moueatur ad pœnitentiam.

Primum autem isti spiritualia sibi accerserunt mala. Nam à Deo ita excœcantur, ut non uideant se grauissima perpetrare scelera, qualia sunt factò ipso agere aduersarium Dei sese efferre supra Ecclesiam, sese collocare in templum Dei, & ostentare pro Deo, 2. Thessal. 2.

Deinde occupantur à septem spiritibus, qui postrema faciunt peiora primis, Matt. 12.

Tertiò, ita à spiritu uertiginis mirabili Dei iudicio non pauci corripiuntur, & in transuersum aguntur, ut contra suam conscientiam, suas, & maiorum suorum confessiones damnent, & abiiciant, & blasphement.

Quartiò coguntur fieri persecutores syncerorum Doctorum

florum

Horum, seq; participes faciunt sanguinis, qui inde ab Abele effusus est.

Quintò, se & suos subditos priuant ueritate Euangelii, qua nullus est præstantior, & durabilior thesaurus, & patefaciunt omnis generis corruptoribus doctrinæ suæ nestras suas.

Sextò, Abalienant à sese preces communes piorum, quibus sepe magni uiri tempore afflictionis adiuti, uel sua bona retinuerunt, uel amissa recuperarunt, & ex ipsis carceribus liberati sunt, & accersunt sibi e contra maledictionem, & execrationem omnium piorum, quæ res est longè tristior, & nocentior, quàm quicquam aliud in hoc mundo, ita ut Lutherus dicat, se malle Imperatoris Turcici sustinere inimicitiam, quàm unius ueri Christiani preceationem contra sese iustus de causis fieri.

Septimò, Tandem desperatio solet eiusmodi sacrilegos sequi, cuius rei exempla possent recitare, nisi breuitati studeremus,

Mala corporalia magis in oculos incurrunt, quorum illi se participes faciunt, sed illa non isti peccato, uerum alijs causis adscribere solent.

Peccata Antichristi Ecclesiastici, seu Papatu Deus puniuit, & adhuc punit, fame, peste, gladio, seditionibus, imperij Romani distractione, uastatione Regnorum, subuersione ciuitatum, uarijs nouorum morborum generibus.

Eadem

Eadem mala manent, & quidem iam ceperunt grassari in Magistratus sibi utrumq; gladium rapientes, seque Dominos, & Dictatores regni Christi constituentes. Dum enim illi regnum Christi turbant, & transformant, Deus ipsis uicissim sua regna turbis, & omnis generis calamitatibus replet, dum super Christum, & Ecclesiam regnare nituntur, & pios in exilia mittunt, Christus uicissim eos subiicit seruituti, & imperio alieno, ut Turcico, Muscouitico, & alijs.

Mala aeterna Antichristo Papali praedicta sunt in uerbo: Extrema abolitio 2. The. 2. Palus ignis, & sulphuris, Apocal. 19. Cruciatu aeterni Apoc. 14. Verum eadem etiam referri debent ad Antichristum Imperialem, & ad Gog, & ad Magog, Apocal: 19. & 20.

Haec opponant uiri politici suis uanis consilijs, & oppionipus, quibus sibi persuadent se, & suos fore beatos, si etiam supra Ecclesiam, eiusq; Ministros supremam sint adepti potestatem, seu tyrannidem, & perpetuam dictaturam, Tum enim fore aurea secula, ac caueri, & interdici posse uiris rixarū, ne quid loquantur, scribant, aut edant, quod faciat ad Magnatum animos irritandos, & ad discordia excitanda Nam si uerbo Dei, & experientiae, fides habenda est diuersum eueniet. Sicut enim Papalis Antichristus, qui sibi ultra gladium spiritualem, etiam corporalem rapuit, infinita mala attulit, & Ecclesiam, & politiam oppressit, cultus idolatricos instituit, carnificinam conscientiarum exercuit, turbas, & seditiones funestas mouit, & ad inferos infinita animarum agmina deduxit. Ita e contra
Antichri

Antichristus Imperialis, qui sibi ultra corporalem gladium etiam spirituale uendicat, contra Dei uerbum, et ordinem, opprimit Ecclesiam, ueram doctrinam tollit, ueras confessiones impedit, pro sinceris, & salutariis Ministris corruptores, hereticos, adultores, Magistros lenipedes, lugen-saccos et suauiloquos substituit, & conscientijs uenena propinat, & Rempubicam turbis, & seditionibus complet, et iram Dei sibi, & suis egregie cumulat, & perniciem, seu excidium, ac extremam seruitutem accersit.

Nono: Lutherus, & alij pñ Doctores semper istam Magistratus tyrannidem damnarunt, nec uoluerunt suorum scriptorum editionem pendere ab aulicorum præpostero, & à norma uerbi diuini absono iudicio, Extat epistola Lutheri ad Philippum, in qua dissuadet ei, ne sua scripta ad Aulicorum arbitrium pedat, aut supprimat. Ac rectè asserit mediam partem suorum operum in tenebris mansisse, si aulæ arbitrium, & consensum ipse expectasset.

An Magistratus rectè faciant, si interdiciant literatis sub sua ditione constitutis, ne quid prælis externis euulgent, à se non prius uisum, & approbatum.

CAPVT XX.

Quia prælorum libertate Deus per Lutherum, & alios uiros, quos ipse noua luce Euangelij per Spiritum sanctum cælitus illuminauit, & induit, regnum Diaboli, & Antichristi, & tenebrarum passim turbauit, & destruxit,
 E ideo uē

ideo ut uicissim Deo aegre faciat Sathan, & paulatim suum regnum recuperet, aut nouum quoddam condat, omnibus uiribus experitur praela in captiuitatem, & suam seruitutem redigere per Dominos politicos, quos inflammat, & excitat ad dominatum super Ecclesiam, & Ministerium constituendum, occupato nimirum gladio spiritali, & potestate Ecclesiastica.

Ac Dei permisso propter peccata populi sui & ingrati tudinem mundi ea in re non parum profecit. Nam Pastoribus, & Superattendentibus, qui debebant esse custodes iuris, & priuilegiorum, & libertatis Ecclesiae, quam Christus suo sanguine comparauit, pari imstertentibus, partine colludentibus cum sacrilegis illis, pari im etiam proditio nem exercentibus, nō modo praela, quae sub dominio cuius quae sunt, occupauit per illos Monarchas, qui soli ea ob sident, & pro sua tyrannide, aut lubitu, quae edi, aut non edi debeant, iuxta aulicam sapientiam, & non iuxta Dei uerbum, & Ecclesiae necessitatem, & utilitatem edicunt, sed etiam longius progressus praela externa, quae sua non sunt, sed alios dominos habent, conatur suo seruitio, & iugo subijcere, dū imperant, ne quis ex Theologis quicquam edat alibi, quod non prius à se sit uisum, & approbatum, & concessum, Si quis secus faciat, eum contumelijs, & exilio multant.

Docebat autem Magistratus prius considerare, nunquid in eo recte faciant. Nunquid ministri Dei officio, an diaboli fungantur talia praesumentes. Verum plerique se
se ita

se ita gerunt, ut in Psal. 82. dicitur, Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant, mouebuntur omnia fundamenta terræ. Non enim quid sui officij sit, nec quid liceat cogitant, sed pro arbitrio, quæ lubent, quo iure, quæue iniuria appetunt, suscipiunt, & in actum producunt, neque Deum, neque homines reuerentes.

Quare necesse est Ministros Dei eos iuxta Dei uerbum & ueram pietatis normam, uel surdos, aut recalcitrantes, & minas cruentissimas spirantes, aut cælum terræ miscentes, commonescere de metis sui iuris, aut norma iustitiæ, ac de regula pietatis, ipsis uel in præiudicium, ne sint excusabiles in die iudicij, uel emendationem. Quo animo, & sine nos quoque hanc quæstionem discutiemus.

Quod autem Magistratus non rectè faciant, si literatis in ditione sua constitutis imperent, ne quid prælis externis subijciant, nisi prius à se, & suis Aulicis approbatum, & concessum, facile iudicari potest ex his, quæ supra dicta sunt, & porro subijcientur. Nam si non habent politici Domini ius soli sine iudicio Ecclesiæ legitimo, & uero consensu huiusmodi censuram instituendi, aut exercendi, ut supra demonstratum est, multò minus ius habent talia simpliciter imperare. Secundo non habent ius literatorum, & maxime Theologorum scriptæ ad suam inspectionem, & censuram aulicam sine Ecclesiæ Dei consensu astringendi, ut illorū iudicio præpostero, & arbitrio, necessaria, & utilia ad ædificationem abijciant, aut

E 2 differant.

differant, aut ueritatem in mendacium, seu adulationem conuertant.

Sed satis ipsis esse debet, si autores sua nomina subiiciant, & parati sint reddere rationem ubi sit necesse, & pati pœnas siue Ecclesiasticas, siue politicas, si quid contra pietatem edidisse conuincantur.

Tertio, quia literati homines non sunt adeo inancipi, et Magistratus dominio subiecti, ut nihil scribere, nihil edere liceat sine eorū inspectione, & approbatione, præsertim si nullas suæ improbationis iustas, & pias rationes ex uerbo Dei afferre queant. Quis sutorum, aut fabrorum adeo est inancipi, ut cogatur tantū ex Magistratus præscripto, & inspectione calceos, aut clauos huius, uel alterius formæ facere, & huic tantum, & non etiam alij uendere. Certè si gubernator aliquis conaretur sutoribus hoc iugum seruitutis imponere, ne quem calceū alium faciant, quàm à se præscriptum, nec cui uendant, quam à se prius uisum, & approbatum risui omnibus sese exponeret, & pro prudente Consule, aut Principe stultus, improbus, et iniustus audiret, propterea quod cum non nosset artem calceariam, ac sciret iudiciū de calceis pertinere ad eius artificij Magistros, & non ad consularem, aut regiam dignitatem, tamen temere id auderet, et simul impediret commodum artificium, et rē nouā tentaret. Cur igitur ferant homines docti, & Theologi, ut gubernatores politici, qui aut scribere non norunt aut de religione parum intelligunt, id quod sui officij non est, nec ab ijs præstari potest, sed ad alios pertinet, temere & cum fraude publici boni audeant?

Quarto,

Quartò, Priuilegia, & beneficia literatis data, & concessa ab Academijs nomine Principum, non possunt sine grauissimis causis abrogari, & tolli ab ipso Imperatore, nedum ab aliquo inferiori Domino, nisi uelit pro Tyranno, & uiro parum sibi constante haberi.

Sed Doctoribus, ac Magistris, & Ministris Ecclesie datur potestas docendi, & scribendi quæ pertinent ad cuiusq; professionē, tantum cum illa conditione, ut sint parati reddere rationem, si quid perperam docuisse, aut scripsisse uideantur. Qua igitur fronte, & conscientia Domini illi politici illa literarum, & maxime Ministrorum Ecclesie iura abrogabunt in scio Imperatore decretum facientes, ne quid à quoquam edatur quocunq; in loco, nisi prius à se uisum, aut approbatum?

Quinò, Distinctæ sunt gubernatorum iurisdictiones. Alius alio loco imperium, & Dominium tenet, ac cuiusq; potestas gubernandi (Aliud est de officio defensionis, id enim etiam extra fines sui territorij sese extendit de iure Dei, & gentium) eum locum, & populum comprehendit, qui ei est subditus, nec debet mittere falcem in alienam messem, ut dici solet, aut, ut Petrus uocat, ἀλλότριον ἰσχωρεῖν.

Quod si autem aliquis gubernator hic imperat, ne quis libros suos imprimi ab aliqua Typographo in remota regione curet, nisi ipse prius censuerit, & approbarit, nonne suam iurisdictionem extendit in præla illa extra suum territorium existentia, quorū ius nullum habet. Habent alias præla illa externa suos Dominos, & inspectores non tantum politicos, ut apud quosdam nostrates sed etiam Eccle-

fiasticos, & quidem literatos homines, quos illi noui, & uolenti censors præse contemnunt, dum ea, quæ ab ipsis censei debeant, ad se rapiunt, non tam animo promouendi rem literariam, quàm impediendi, nec tamen possunt cauere autoribus, quod si ab ipsis sint libri inspecti, & approbati, quod externorum prætorum inspectores contenti horum iudicio, & censura illos libros approbaturi sint, & admissuri. Inanem ergo sumunt operam, & aliena curant suis neglectis, & insigne arrogantia uitium produunt.

Literati homines, & Theologi ea sunt præditi modestia, ut nihil magis uelint, quàm ante editionem sua scripta à doctis, & pijs uiris, legi, censei, & emendari, ad dicitis causis emendationis, & censure. At illi Monarcha non querunt emendationem, sed oppressionem. Ea enim occasione, si offeruntur illis libri, necessarii ad confessionem, & defensionem ueritatis, & salutarem hominum conuersionem, & peccatorum, & errorum reprehensionem, dicta sua proponunt, Nolumus hoc prælis euulgari, quia seditiosum est, quia nimis acerbum, & amarum, quia intempestiuum, quia offendit hos, & illos uiros magnos, & potentes, quorum amicitia nobis commoda est.

Sed si quis querat causas, cur seditiosum, cur acerbum, cur intempestiuum? An propter hominum fauorem ueritas Dei occultanda? Nullas nisi uanas, & carnales afferunt rationes, quæ pietati, & honestati contraria sunt. Sed tamen propter eas edicta sua uolunt seruari, & adorari, Atque ita oppressionem, & non emendationem sua
inspecta

inspektione quærun, & re ipsa præstant.

Sextò, Magistratus officium est honorare bona opera, & non prohibere ea Rom. 13.

Sed uoce, & stylo sinceram doctrinam propagare, corruptelas, & errores refutare, peccata, & peccatores rederguare, & ad pœnitentiam uocare? Item historias ueras, ueteres, et recentes commemorare: Artium, et literarũ studia excolere, & promouere, sunt bona opera necessaria Reipublicæ, & Ecclesiæ. Quæ ergo conscientia gubernatores possunt decretis suis, ne quid imprimatur sine suo consensu etiam externis prælis, illa opera impedire, et quasi muscipulas concludere, & quæ utilissima reuera sunt inutilia censere?

Septimò, Nouum, & inauditum quiddam hac in re faciunt Magnates. Nam dum in hoc orbe terrarum literæ fuerunt, & libri scripti, & editi sunt, ac dum typi, ac præla usurpati sunt nunquam monumenta literatorum hominum prælis externis edenda adstricta fuerunt ad uoluntatem, & nutum, & censuram politicorum Dominorum.

Habuerunt quidem illi potestatem, si quid alibi prodidisset, & non rectè scriptum esset, exigendi rationem ab autoribus, eosq; etiam iuxta leges suas ob impia, aut in honesta scripta puniendi. Sed ante editionem ad suum consensum omnes labores Doctorum obligare, eaq; occasione necessaria, & salutaria scripta impedire, & suppressere, nemo ausus fuit ne Iulianus quidem, aut Ethnicus Magistratus. Estq; adeo hæc noua ratio, ut ante paucos annos in euãgelicis Ecclesiis à quibusdã impiis in urbe, quã suo tempore

nominatim indicabit historia optimi, & præstantis uiri,
 qui propter libellum de nouo, et ueteri Christo à Saule quo
 dam in exilium est pulsus contra dicente, & gemente Ec-
 clesia, inuenta ad fidelium Ministrorum exilium, quam po-
 stea cum alij quidam suis Theologis præter ius, & conuen-
 tiones priores imponere conarentur, manifestarunt suoru
 constantiam, & suam impietatem erga Ministros Dei, &
 religionem. Quod si Romani Cæsares, & præfecti iudeæ
 post ascensionem Christi ea etate, qua uixerunt Euangeli-
 stæ, nisi fuissent ista tyrannide, quam nunc Christiani exer-
 cent in rem literariam, quid quæso haberemus de uera hi-
 storia Christi, & Apostolorum, nisi forte putemus eos tam
 stolidos fuisse, ut concessissent Euangelistarum libellos in
 publicum prodire in quibus sunt multa historie, quæ non
 bene commendant quorundam Magnatum facta.

Verum sicut ex Imperatoribus Ethnicis, & Tyrannis
 crudelissimis, nullus uias ad extinguendum Christianis-
 mum magis compendiaras reperit, quam Lucinius, qui ue-
 tuit, ne sacerdotes Christiani synodos celebrarent, & de re-
 ligionis negotio coniunctim tractarent, Et Iulianus, qui è
 scholis Christianos eiecit, & pueris gentilibus blasphemias
 instillare iussit, ac edixit, ne quis Christianorum libros gen-
 tilium philosophorum, aut poetarum legeret, idque eam
 ob causam, ne inde arma aduersus gentium idola peterent
 ita hodie ad opprimendam ueritatem Euangelij nullus ex
 Papistis Tyrannis rationem ad eam rem accommodatio-
 nem instituit, quam hæc est pseudolutheranorū, qui talibus
 decretis, & edictis omnia scripta, in quibus puritas doctri-
 nae proa

nae propaganda est, sibi subijciunt, & postea pro sua carnali prudentia, seu potius insania, stultitia, & furore opprimunt, ac e contra Hereticorum deliria, quibus plerumq; Magnates capiuntur, longe lateq; divulgant.

Octauo, quae supra diximus de incommodis, & damnis ac pœnis Tyrannidem secuturis, quae praela propria occupantur à solis politicis, & denegantur necessarijs, & salutaribus scriptis, eadem etiam periment ad hanc longe iniustiore tyrannidem, quae externa praela, quae in potestate istorum Dominorum non sunt, prohibentur literatis, & maxime Theologis, qui tenentur ueritatem Dei contra omnium Diabolorum, & filiorum huius seculi uoluntatem, et assensum asserere, & propagare uoce, & stylo.

An literati bona conscientia in eiusmodi seruitutem possint consentire, ut sua non nisi de censura, iudicio, & permisso Aulicorum, et politicorum uirorum prelis, siue domesticis, siue externis subijciant.

CAPVT XXI.

Talem seruitutem à literatis, maxime uerò à Theologis non posse bona conscientia approbari, facile est existimare ex praecedentibus,

Nam si illa nec rectè, nec piè à Magistratu fuerit, ut demonstratum est, nullo modo probari possunt à quoquam.

D 3 Scriptum

Scriptum est enim, Ne dicas falsum testimonium. Item Vt qui bonum et alium, et malum bonum dicit Esaia 5.

Deinde ut minister Dei non potest bona conscientia consentire, si ei à Magistratu præcipiatur, ne uoce propaget puritatem doctrinae ad alios, et ne moneat errantes, et ne beneficiat aliis: ita nec consentire potest, si ei mandetur, ne stylo id faciat. Nam utroque et uoce, et stylo, Domino Deo suo deumctus est, ac habet ab eodem certas metas in uerbo præscriptas, quas nullius hominis, imo nec Angeli quidem hortatu, aut coactu transgredi debet.

Tertio faciens et consentiens in eodem hærent crimine Rom. 2. Non tantum qui hæc faciunt, sed qui consentiunt facientibus rei sunt. Sed Magistratus ad suam illegitimam, et insidiosam inspectionem alligantes scripta Ministrorum Ecclesiae necessaria, et utilia ad ædificationem, committunt sacrilegium, et tyrannidem in libertatem Ecclesiae, à Christo partam, ut supra ostendimus. Hoc uero crimine quomodo sese liberabunt, qui talia non modo probat, sed etiam illos, qui libertatem suo periculo, et exilio tuentur, exhibent.

Quarto, Promouens, aut approbans regnum Antichristi, quod maxime consistit in confusione politicae, et Ecclesiasticae potestatis, contra dictum, Data Caesari quae sunt Caesaris, et Deo quae sunt Dei, is grauissimè peccat.

Sed Magistratus sibi soli exclusa Ecclesia inspectionem librorum edendorum, et maxime theologorum, rapiens, et decreta proponens, ne quid usquam imprimatur à se non concessum, et hoc modo insidiat Ecclesiae libertati, et uerita-

ueritati strenuus, regnum Antichristi instituit, ut supra diximus, confusa politica, & ecclesiastica potestate, cum Ministris Ecclesie, & non Casari dictum sit, Euntes docete omnes gentes, Item peccantes coram omnibus argue. Item, Quaecunq; solueritis super terram, erunt soluta in caelis.

Ille ergo, qui sua scripta eiusmodi insidiosis, & auilicis, & neopapalibus inspectoribus sciens & uolens absque contradictione subiicit, ac decreta illorum probat, quid aliud facit, quam quod Papatum illum nouum, quem politici Domini contra suam conscientiam, & uerbum Dei moluntur, confirmat.

Quintò à Pseudoprophetis iubetur omnes sibi cauere, quia sunt lupi rapaces, qui puritatem uerbum Dei, uerum usum clauium, & sacramentorum, libertatem Ecclesie, confessiones ueras, & salutem animarum rapiant.

Verum illi Neopapales Domini politici per talia decreta de prelis, & illegitima, ac insidiosa inspectione sunt lupi ueras confessiones, quæ necessariae sunt ad puritatem conferuandam, & propagandam contra corruptelas, salutare conuersiones penitentiae, quibus monentur lapsi de peccatis, & inuitantur ad conuersionem, & scandala tolluntur, deuorantes, & dilaniantes, ac interdicentes. Sed ab his quomodo cauere sibi dicantur ij, qui decretis ipsorum impiis sese subiiciunt, ac sinunt sua scripta ab iis discerpi, & in tenebras abiici.

Sextò: In illa, quæ laqueum, & offendiculum fratribus apponunt, & quæ incommodant posteritati, & quæ accersunt iram Dei, et penas, nemo bonus potest consentire.

Decreta

Decreta autem illa de seruitute praelorum, & illegitima, ac insidiosa inspectione afferre illa mala omnia supra declaratum est. Quare non nisi impius in tyrannidem illam potest consentire.

Quid si autem quis alia ratione non possit ullum scriptum euulgare, an non melius sit istam approbare legem, quam prorsus à stylo abstinere.

Respondeo.

Si omnes literati suam tuerentur libertatem, ac suos Dominos quisque suo ordine, & loco moneret, ac pro grauitate ministerij illi nouo papatui imperiali obsteret, facile expugnarentur aliqui Magistratus, ut cederent admoniti de rapina, et sacrilegio, et impia edicta abolerent. Sed quia id à paucis fit, alijs adulantibus Monarchis, alijs tacitibus, alijs istam tyrannidem excusantibus, ideo procedit illa noua abominatio quotidie longius, ac alii aliorum exempla imitantur, imo & syncretismi fiunt à politicis in conuentibus, de ea praelorum occupatione Tyrannica, ac de insidiosa inspectione.

Quod si ergo illa abominatio iusto Dei iudicio propter ingratitude[m] mundi aduersus ueram religionem subinde magis magisque obfirmata fuerit, pati eam oportebit pios, sed approbare, & in eam consentire nullo modo. Verum contra protestari, ut solet fieri in uiolentis rerum occupationibus, contra ius, & equum.

Ne autem ea tyrannide grassante Ecclesia, & ueritas diuina faciat iacturam omnino necesse fuerit, Theologos, ut antea praela factum est, exaratos inuulgare, & ad posteritatem

ritatem transmittere libros, quòd etiam Sanctus Lutherus præuidisse, & prædixisse uidetur illustri illo in Daniele uaticinio de ueritate uix apud priuatos Patres familias locum habitura, & à suggestibus exulatura, quod sanè nunc pedetentim incipit impleri, die extremo festinanter appropinquante.

An typographi bona conscientia quiduis excudere possint.

CAPVT XXII.

Non quæuis bona conscientia à pio Typographo excudiri posse, facile est iudicare ex præcep. diuinis, qualia sunt. Non dicas falsum testimonium. Item, Ne communicetis peccatis alienis. Omnia probate quod bonum est tenete, & similia.

Nam ut alia omittamus, scripta theologica duorum sunt generum, Alia congruunt cum doctrina Christi, Prophetarum, & Apostolorum, Alia cum ea pugnant, & falsa dogmata, et impios cultus asserunt, aut excusant, aut defendunt. Vt autem non est ἀδὲ ὁμοῦ ἴμπερ, & falsa dogmata scribere, sed est grauissimum peccatum, ita etiam excudere typis, & euulgare eiusmodi hereticos libros culpa & crimine non uacat.

Deinde alia sunt famosa, in quibus innocentes, et immeriti conuicti prosciuntur, disimulatis autorum nominibus. Talia qui excudit ille sese participem & peccati alieni, & pœnarum ciuiliū, & diuinarum facit, & sceleratè typis suis abutitur contra Dei gloriam, & proximi di-

lectio

lectionem, & publicam tranquillitatem. Et quamuis ^{est} in
iusmodi mendaciorum, & conuictorum promotores, &
inuulgatores non puniantur à communi Magistratu, ta-
men experientia testatur, eos impunitos non dimitti à
Deo, qui uindice manu eos insecratur.

An recte nomen Typographi, & loci
occultetur.

CAPVT XXIII.

Humana prudentia, seu potius malitia, & stultitia mi-
rabilis est artifex in declinantis periculis, que uel ob male
facta, aut ob ueritatis assertionem, & bona, ac honesta o-
pera suos sequi solent autores Hinc est quòd sepe Typogra-
phi, cum imprimunt famosos libellos, neque nomina sua, ne-
que loci ubi impressio facta sit subiiciant. Quia in re scele-
rate, & impiè faciunt. Sic alii, qui uera & necessaria scri-
pta subiectis nominibus autorum edunt, ubi nihil esset pe-
riculi ex quadam timiditate suum & loci nomen dissimu-
lant, ut sint extra periculum, quod sibi fingunt. Hi minus
peccant quidem quàm illi superiores, sed tamen non satis
bene agunt, dum scripta illa quasi suspecta reddunt, de qui-
bus tamen autores parati sunt respondere cuilibet petenti,
& non procul ab abnegatione ueritatis recedunt, De-
cebat autem eos ab omni specie mali abstinere.

An recte fiat, si libri fictitijs nominibus
edantur.

CAPVT XXIII.

Tyrannis, & potentia Dominorum politicorum, & metus periculi turbulentis temporibus sepe impulit autores, ut libris ualde necessariis ad gloriam Dei uindicandam, & ueritatem asserendam fictitios facerent titulos. Quod quidem cum excusationem aliquam mereatur, tamen planè probari non potest. Veritas enim aperte dici gaudet, eiusquè confessionem ceu lucernam non sub moggio, sed supra candelabrum & consistere, & lucere omnibus in domo decet, Matth. 5. Sed imbecillitas hominum etiam sanctorum in huiusmodi rebus discrimen facit, aut impedimenta eorum, qui alia ratione impressionem admittere recusant.

An contra politicorum edicta imprimi queant, quæ ad gloriam Dei, & propagationem ueritatis, & communem utilitatem pertinent.

CAPVT XXV.

Graue est nobis ad hanc questionem respondere, tum propter calumniatores, tum propter homines pios. Si enim negamus piè fieri posse, laqueum conscientijs paramus, quæ malunt Dei mandato, quàm hominum impiis decretis obtemperare, Act. 5. Sin uero affirmamus rectè, & piè in tali re Tyrannorum decreta, ut uerbo Dei contraria, & ex Diabolo proficiscencia contèni posse, & quidem debere, calumniis aperta est fenestra. Ergo seditionem suades, & suscitās, Tolle, tolle, crucifige, crucifige. Egregia sanè consequentia. Hic secundum Dei uerbum monet impia decreta, Magistratus non esse obseruanda

Ergo

Ergo est seditiosus. Quasi uerò seditio sit Deo obedire, & impia respuere. Verum utut calumniatores impetant nos, nihilominus tamen ex uerbo Dei, ius Dei proferre, & tuari, ac sequi oportet. Propter calumnias enim non est ueritas reticenda, aut occultanda. Nec propter malos omittenda est institutio honorum.

Ulla quæ ad gloriam Dei, & propagationem ueritatis, & communem utilitatem pertinent etiam contra edicta Tyrannorum bona conscientia à Typographis imprimi posse his, & similibus confirmatur argumentis.

Primum, Quia omnes Typographi obligati sunt iuramento in baptismo Dei præstito ad promouendum ea, quæ ad gloriam Dei, & propagationem ueritatis, & communem utilitatem, seu dilectionem proximi, & ædificationem Ecclesiæ pertinent, nec possunt ab illa obligatione, ullius Tyranni, aut Diaboli autoritate, aut interdicto, liberari, seu absolui, quin periuri fiant, si non obtemperent, sed secus faciant ob alicuius Tyranni edictum.

Secundum, Quia nullus politicus Dominus habet ius Typographis, aut aliis hominibus, interdicens ea, quæ pertinent ad gloriam Dei, & ueritatis propagationem, & Ecclesiæ ædificationem. Nam Magistratus tantum honorare bonum debet, & non licet ei id impedire, aut prohibere Roman. 13 Et sicut Ministri Ecclesiæ non habent potestatem ad destructionem, sed ad ædificationem, ita Magistratus, qui est armatus Dei minister, & ensifer, terrere, & prohibere quæ ad Dei Domini sui pertinent amplitudinem & gloriam, nullo iure potest.

Imperat

Imperare autem, & obtemperare sunt correlatiua.

Quod si ergo politici Domini nō habent potestatem talia edicta proponendi, nec subditi tenentur imperata facere. Nullo enim iure imperata, optimo iure denegantur.

Tertium: Ea, quæ contra Dei gloriam, & confessionem ueritatis, & ædificationem Ecclesiæ edicuntur à politicis Dominis, non ab ijs, ut Ministris Dei, sed ut ab organis Diaboli proficiuntur, Diaboli enim est gloriam Dei, & hominum salutem impedire, & prohibere. Qui peccatum facit ex Diabolo est. Item Ioan 8. Vos ex patre Diabolo estis, eiusque desiderijs uultis obsequi. Quare sicut Typographum non decet obtemperare interdicto Diaboli, ita nec tali decreto à Tyranno proposito.

Quartum. Christus inquit, Date Cæsari quæ sunt Cæsaris, & Deo quæ sunt Dei. Attribuit Cæsari suum certum demensum, & non uult ei dari ea, quæ ad Dei regalia ut uocant pertinent. Quis autem ignoret libros illos, qui ad Dei gloriam, & ueritatis propagationem & Ecclesiæ utilitatem spectant, Dei peculium esse? Si ergo Magistratus suis edictis conetur illos sibi subicere, eosq; opprimere, quid aliud agat, quam ut rem alienam suā faciat, ac id quod suum non est, postulet? Debent Magistratus promouere ea, quæ ad Dei gloriam, & confessionem ueritatis pertinent, iuxta dictum Psal. 2. Osculamini filium, Item, Attollite portas uestras Principes. At impedire, & edictis suppressere nullo iure possunt. Quare si id tyrannicè audent, singuli tenentur cauere, nedum uolunt i psis parere, Deo suum aufe-

F rant

rant, & homini id quod Dei est reddant, sibiq; iram, & iudicium Dei, quo grauius premit, quam omnium Tyrannorum crudelitas, accersant.

Cum ergo talia scripta Tyranni prohibeant edere, Typographi cogitent se superiorem Dominum habere, quam ille suus Magistratus est, nec posse bona conscientia, quod Dei est, huic dari.

Quintò, Regula Apostolorum est, Oportet Deo magis obedire, quam hominibus, qua absoluuntur singuli p̄i ab obedientia in illis rebus prestanda, qua à Deo sunt prohibita. Duo Domini sunt Deus, & Magistratus, quibus p̄i obedire debent. Si Magistratus imperat, qua non sunt contra Dei edicta, rectè illis potest obtemperari. At si imperat, qua Deus uetuit, Deo magis obediri oportet, quam hominibus. Tum enim Magistratus homines appellantur, Quia sine Dei autoritate talia mandant.

Nec potest uerè dici inobedientia aduersus Magistratum, si quis impia eorum decreta non obseruat, sed contra illa liberè agit. Nam inobedientia erga Magistratum nulla potest committi in eo, quo Deo obtemperatur. Nec Magistratus ullum ius habet imperandi à Deo prohibita. Quare si Imperator in sphinge Augustiana mandet, ne quis contra eam dicat, scribat, aut imprimat literam ullam, p̄i omnes scire debent, se oportere magis Deo obedire, quam hominibus. Deus enim mandauit, ut contra falsa dogmata ueritas asseratur, scribatur, & imprimatur, & inuulgetur quocumque modo id fieri queat. Ac si quis accusetur uel etiam affligatur ob uiolatum mandatum, is bona conscientia

tia

tia cum Daniela dicere potest, Domine rex contra te nihil peccavi, quia tuum mandatum impletum erat, & Dei edictum me ab imperio tuo in Iſſhac reliberavit.

At inquirunt quidā prædiuites, & bene nummati Typographi, Si non obtemperamus illis licet tyrannicis edictis, multamur ære, & corpore. Bene quidem, sed quid facias. An putas Deum, cuius mandatum uiolas ob gratiam Tyranni, & honorum tuorum conseruationem, non grauioribus malis te affecturum esse? An ignoras eum, & uitæ & animæ tuæ potestatem habere, ac in gehennam abijcere posse? Tyranni crudelitas non prius, nec grauius potest seuire, quàm Deus permiserit, nec diutius durat, quàm hæc uita assumpta est, At Dei furor aduersus operantes iniquitatem, æternus est, & non modo hæc bona, & hanc miseram uitam, sed etiam animam, & uitam æternam consumit. Elige ergo utrum malis, Deum omnium maximum, & potentissimum Dominum ad benefaciendum obtemperantibus, & puniendum inobedientes, offendere, quàm Tyrannum aliquem uix ampulla durabiliorem.

Ex his etiam constat, politicos uiros uerè coram Deo ius non habere affligendi Typographum, qui scripta ad gloriam Dei, & ueritatis propagationem, & Ecclesie ædificationem pertinentia, impresit sine eorum consensu. Nam uerè ille nihil contra Magistratus peccauit. Deinde, Magistratus tantum ius habet puniendi mala opera Ro. 13. Sed Typographus ueritatem adiuuans bonum opus fecit. Cur ergo puniatur? Tertio bona opera honorare Magistratus debent. Sed talia scripta, quæ ad Dei gloriam, & ad

Ecclesie ædificationem pertinent excudere est bonum opus. Ergo potius à pijs Dominis laudari debebat, quam multari. Quartò Christus Phariseos, & hypocritas, qui ob traditiones, & præcepta hominum Dei mandatum de dilectione uiolabant, reprehendit. Sed nihil differt ista Politicorum uiolentia ab illis. Nam sicut illi damnabant eos, qui die sabbati opera caritatis faciebant, propterea quòd seniorum traditiones uiolassent. Ita si quoque incarcerant, & puniunt suos, qui Dei mandatum de dilectione proximi & de confessione præferunt illorum captiosus, & insidiosis decretis de impetranda prius licentia impressionis ab illis, qui odio ueritatis confessionem opprimunt, propter societatem, quam habent, uel cum doctrina corruptoribus, uel cum piorum afflictoribus, & calumniatoribus.

De uirtutibus, & uitijs Typographorum, & Ministrorum eorum.

CAPVT XXVI.

Singula uitæ genera suas quasdam uirtutes requirunt, quibus præditi ij sunt, qui in eo statu uersantur, clariores, & laudabiles coràm Deo, & hominibus habentur, sicut econtra certa quedam uitia in quibusdam conspiciuntur, quæ deformant homines, & uituperio digna sunt.

Nimis autem prolixum esset omnium uirtutum, aut uitiatorum, quæ hodie in Typographis conspiciuntur, catalogum contexere. Ideo obiter, & breuiter tantum quedam in eorum gratiam attingemus.

Virtutes, quæ Typographum maxime ornant, hæc præcipue

cipua uidentur. Pietatis, & ueritatis studium, quo si caret, erroneos, & hereticos potius, quam synceros, & salu-
lares libros edit, & mendacium magis, quam ueritatem
promouet, aut sine conscientia pro & contra ueritatem
excudit.

Timor Dei, quo munitus sit, ne absterreatur Tyrannorum impijs edictis, à promouenda ueritate.

Diligentia, & solertia, Nam ignauia, & negligentia bonos autores erroribus corrumpit, & lectoribus facit negotium.

Eruditio, quasi caret destinandus est ad imprimendos Eulenspiegelos, & similes iocosos, aut nullius momenti libros.

Iustitia, ne aequalitatem excedens ob auaritiam expiator sit potius doctorum, quam promotor studiorum, & rei literariæ.

Frugalitas, quæ ipsius æconomiæ prodest & beneficentiæ, & iustitiæ quasi nutrimentum suppeditat.

Liberalitas, eaque maximè erga literatos, & uiros bonos synceram ueritatem cælestem studiosè propagantes.

Tolerantia laborum. Nam labores haud leues requiruntur, ad collocationem, correctionem, impressionem, & indicum comparationem.

Hæc uerò uitia Typographos, eorum-
que Ministros ualdè deformant.

Ignorantia ueræ religionis, & studium propagandorum errorum, & mendaciorum, cuius exemplum insigne in Genneppio Coloniensi, & alijs quibusdam extat.

Contemptus Dei, quò sit, ut parati sint iussu Tyrannorum contra conscientiam, quæuis etiam impienissima excudere, & quæ ualde salutaris, & utilia essent Ecclesiis Dei, omittere.

Mala fides, qua scripta ueterum, & recentiorum nonnunquam corrumpuntur.

Ignauia, & inertia, qua plurimum obsunt studijs literarum.

Iniustitia, qua precij æqualitatem excedunt.

Auaritia, qua tantum suum lucrum sordide querunt.

Prodigalitas, qua ebrietati, & gulæ dediti abliguriunt omnia, & postea sunt iniusti, & in Iudeos usurarios incidunt.

Ebrietas & gula, quæ apud quosdam ministros Typographorum adeò uulgaris, & quotidiana est, ut quoties in Calendario rubris literis dies notata illucescit, toties à labore uacandum, & poculis indulgendum sibi esse statuunt.

Illiberalitas erga doctos, & literatos homines, eorumque labores, quorum cum fructus ipsi capiant, decet eos quoque erga illos esse humaniores, & liberaliores.

τὸ τῆς δόξης τοῦ βιβλίου.





ALVENSLEBEN

Bc

407







Matthæus Iudex

DE TYPO, ¹⁴⁰³

GRAPHIÆ INVEN-
TIONE, ET DE PRÆLO-
RVM LEGITIMA INSPECTIO-
NE, LIBELLVS BREVIS
ET VTILIS.

PER
MATTHÆVM IVDICEM.

COPPENHAGII,
Excudebat Iohannes Zimmerman;

ANNO 1566.

